



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Tractatus IV. De Locatione, & Conductione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

non solet dare illas pecunias à cambio expositas, nisi personis securis, sed, quia adest nihilominus aliquod periculum, quod illa eadem persona, vel sint infideles, vel decoquant, ideo aliqua mercede dignus omnino erit.

8. Secundò, lucrum, quod speratur futurum, ex tali pecunia, non sumatur summum, nec infimum, sed medium; cum non sit major ratio, quod futurum sit summum, vel infimum, unde æquitas dicitur, ut sumatur medium. Et profectò ab experto, & probo viro non aliud, quàm medium decerni solet. V. de, quæ dicam mox num. 13. & 14.

9. Tertiò, debet perpendi etiam labor, & industria Correspondentium, quibus debetur sua provisio, ut omnibus prudenter consideratis, quantum lucri ex exposita pecunia superfit, mensuretur.

10. Quartò, quia hæc conventio per dictos tres contractus, quæ certè fieri non possunt, non solum cum Mercatore ad exercenda cambia, de quibus hic agimus, sed etiam cum quocunque negotiorum gestore, vel artifice, vel professore cujuscunque officii, de quibus agemus suo loco in citato tractatu de Societate, ideo universaliter docent Theologi, quantum debeat esse ejusmodi lucrum, colligi debere ex natura negotiationis, ex gravioribus periculis, quæ timeri possunt, ex majoribus vel minoribus expensis, & breviter ex variis variationum negotiorum circumstantiis, plus enim lucratur quis, si det operam emendo, vendendòque frumento, quàm vino, quàm panis, quàm lignis, &c. plura pericula, si extra Regnum, quàm in Regno agatur negotium, majores expensæ, si conducendæ sint naves pro longiore navigatione ad transportandas merces, quàm pro breviori, &c. nam propter a recte Bonacina, d. 3. de contr. quest. 3. p. 11. n. 3. & 6. cum supposuisset, posse licite exposci pro lucro quingue pro centum, addidit omn. 6. In conventionem trium contractuum posse plus exigi, quò negotiatio majorem fructum affert. Scortia autem in Constit. Pontif. Theor. 290. supponit tam in cambiis, tum in aliis negotiis posse, per hos tres contractus, pro singulis centenariis capitalis, acquiri sex ob lucrum, sed cartè id loco exempli dixit; nam ceterum, si negotiatio ejus est conditionis, ut plus lucri pariat, cur plus lucræ acquiri non possit, quod si ejus est conditionis, ut pariat minus lucri, qua tu fronte plus lucri contradere, non dubitas?

11. Ex his igitur universaliter dictis collige, idem esse considerandum in casu nostro. Si quidem Cambii lucra pro locis distantibus, vel propinquis, pro Civitatibus, ubi adit pecuniæ copia, vel inopia, pro variis aliis circumstantiis majoris, vel minoris pretii pecuniæ. Cambii, inquam, lucra majora esse possunt, vel minora, & juxta has circumstantias, demptisque iis, quæ demi pro Provisionibus solent, sunt mensuranda, sive ad quingue, vel ad decem pro centum sive ad minus, vel majus, &c. & ita observant ad unguem probi Negotiatores; nam in Nundinis prædictis taxari solent Cambiorum pretia consideratis prædictis omnibus circumstantiis, unde videmus, non semper idem constans esse lucrum, ut, vel mediocriter experti in hac negotiatione probè callent.

Praxis trium contractuum in Cambiis.

12. His itaque quasi theoreticè explicatis, ad praxim horum trium contractuum exhibendam in Cambiis, maxime faciet, si formulam hæc legas quæ solent Negotiatores Genuenses illos usurpare, eam autem ponit ad verbum idem Scortia l. c.

Contractus hujusmodi (inquit) est frequentissimus, & admittitur, ut iustus, à Confessariis, tam in cambiis, quàm in aliis negotiationibus; sub hac, vel simili forma:

Io Titio in virtute di questa dico, haver ricevuto in Cartolario 25. di argento da voi Sempronio scudi dieci mila, quali prometto, e mi obligo negotiar sopra cambii real idelle

fiera di Piacenza, & di quei locchi, dove per la ragione sopra si faranno dette fiere, per Milano, &c. ad un certo tempo, sotto mio nome, rischio, perico o spesa, per un certo tempo, in pagamenti di Agosto di questo anno, & da qui in avanti, palmenti d' Agosto del sequenti 1621. Aja quod tamen pro il guadagno, è beneficii, che sopra effusione stati di pagamento però si farà in quella qualità di moneta che è in uso, & d'oro, che allora si pagheranno li cambi di detto fiere: obligando per ciò mia persona, & beni sette lettere. Dichiarando che per il sudetto tempo, & quello da qui in avanti, restassero detti denari appresso di me; & quello da qui in avanti voi Sempronio, per conto di detti guadagni, & utili, & ragione solamente di sei per cento, & g. l'anno, & effusione convenuti; & che tutto quello, che potesse essere di più di sei per cento, netti di ogni spesa spetti à me per la futura promessa, che faccio de negotiis, si finire, & non habbiano cambii à detto mio rischio, perico, & spesa, & quanto restassero de detto meno dell' detti sei per cento l'anno, si restassero spesa alcuna, ragionando li cambii, come faranno li cambi, cioè à Milano per fiere, & in fiere per Milano, & in fiere non havere io da pagare, se non quel tanto haverem risposto, & risponderò che eorli habbiano accordato, & per de ho firmato di mia mano, &c.

13. Hæc Scortia. In hac autem ultima clausula, in qua d. cernitur, si lucrum non ascendat ad sex pro centum, sed sit minus, minus esse solvendum, per unum, & servatur in hac formula, ad majorem securitatem conscientie; nam certum, si sine e, & non habet expensæ, & quale dubium, ut lucrum futurum sit majus, vel minus, prudenti, que sine fuco, & fallacia ante de, certum quid dium quid certum; v. g. dicta sex, semper poterit accipere, ut pauld superius, d. 1. num. 19. innum. & in simili docui l. 8. dec. tr. 3. §. 7. n. 9.

14. Apud nostrates negotiores solet hæc lingua Cambii, non quidem in iure ipso celebratur Cambium, sed postea, quando fluitur, decerni, nam tunc ceterò scitur ex continua relatione, quam solent habere Mercatores, quanti valuit lucrum in loco solutionis Cambii, & secundum illud, demptis demeris, statuitur, quantum remaneat pro eo, qui initio pecuniam suam investivit. Illud aliqui ex iisdem, qui pecuniam exponunt, ad majorem conscientiam quietam, addunt, modo lucrum non excedat ad rationem decem pro centum. Si enim excedat, hi timorati expositores nolunt illum excellenter gerere, sed relinquunt in utilitatem prædicti Socii, sive Mercatoris.

Hactenus de cambiis, nunc elanguentibus, ex alio calore, viribus, non nihil quietis d. f. f. calamo candidamus? *

TRACTATUS IV. DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE

QUEM ADMODUM UNUS, idemque est contractus Emptionis, & Venditionis, differtque solum per diversam relationem; tum enim dicitur veni, verbi gratia, equum Petro, Petrus autem dicitur; ita idem est contractus Locationis, & Conductionis, ut habet Laym. l. 3. tract. 4. cap. 22. num. 1. licet tu dicitur locare tuam domum, v. g. Petro, unde, voceris Locator, Petrus autem appelletur Conductor, & à te dicitur domum conducere.

2. Hic ergo est Contractus, quo Locator rem, vel personam aliquam, etiam se ipsam, concedit Conductoribus, ut si, m. vel fructum sub certis justisq; pensionibus, seu stipendiis

nullo addito in iure pacto, idque pro duratione temporis designari. Multa complectitur hæc descriptio, cuius si omnia verba separatim explicantur, absoluta erit hæc de Locatione tractatio.

CAPVT I.

Explicans illud descriptionis,

Contractus, quo Locator Conductor, &c.

1. Quandoquidem Contractus est, saltem duorum, utro, citroque se obligantium, consequenter fit, ut Locator Conductor, & hic illi obligetur in aliquo. Prius igitur de obligationibus Locatoris, tum de obligationibus Conductoris hic agendum breviter erit.

§. I. Obligaciones Locatoris.

1. Res Locator obligationes contrahit. Primò, tradendi rem, quam locat minimè vitiatam. Secundò, faciendi aliquas expensas rei locatæ. Tertio, solvendi melioramenta, quæ ipse imposuit faciendâ.

Locator ne det rem vitiatam.

Intellige, quæ non sit vitiatâ in ordine ad usum locandis, v. g. vas locatum ad continendam liquorem sit pertusum, ne equus ad iter agendum sit claudus. Intelligitur item, (non monito Conductore) nam, si hic monitus rem ita vitiatam sub debita iusta mercede velit, nullam recipiet, quoad hoc, injuriam. Ratio autem datâ doctrinæ est manifestâ, quia sicuti inter vendentem, & ementem, ita inter Locantem, & Conducentem intervenit implicitum pactum, ut quemadmodum Conductor solvit pretium sine defectu, ita locans rem det sine vitio. Quare si das, v. g. vas pertusum pro sano, omnia damna Conductori refarcire debes. Ita Nav. Mol. Filliuc. Sylv. apud Bonac. d. 3. de contract. q. 7. p. 2. n. 3. quia sic damni periculum totum in te suscepisse, præsumendum es.

2. Quid, si inculpabiliter Locator vitium ignoret, vel non avertat?

Respondeo, Vel loquimur in foro conscientie, vel in foro externo. In foro conscientie, nulla erit culpa Locatoris, nec obligatio restitutionis damnorum, ut patet ex Regulis Generalibus alibi traditis. Duo tamen debes omnino præstare. Primò, ut quando rem advertis, Conductorem admoncas; ne longius procedat damnum. Secundò, debes à pensione solvenda aliquid demere, juxta quod minus est res utilis Conductori.

3. In foro autem externo ex circumstantiis colligendum, quid præsumi debeat de te, an scilicet ex culpa, an verò inculpate rem vitiosam locaveris. Sic à Iure l. Sed adde, §. 1. ff. locati, non excusatur, qui vas pertusum locat, quia non præsumitur ejus Dominus illum defectum non cognovisse. Contra, excusatur à Doctoribus is, qui agrum locat, in quo fortè herba inventa est, quæ boves veneno infecit, quia id scivisse Dominus agri non præsumitur.

4. Huc pertinet, ne Locator det rem tributis, & oneribus subiectam, ac si talis non esset; tributa enim, & omnia onera solvi debent à Domino, cuius est res (præsumendo ab aliquo iusto pacto) qui enim sentit commodum integræ pensionis, par est, ut sentiat onus. Lege Reb. l. 1. p. l. 1. q. 9. n. 11. Azor. 3. p. l. 8. c. 8. Caroc. 4. part. 5. ad legem finalem, ff. de Iure Fiscali, alios citantem.

5. Respondeo Primò, si neutri data est possessio, multò magis, si possessio est apud eundem primum. At si possessio sit penes secundum, puro probabilius, hunc secundum esse præferendum, sicuti in pari casu, secundus, cui tradita est rei possessio, præfertur in venditione. Et ratio ulterior est, quia possessio ea, seu ea detentio, quam habet secundus, dat ipsi Ius, ne spolietur. Ita contra ali-

quos, qui contendunt, esse primum præferendum, docet Azor. loco citato, quest. 5. inducens quâdam divisiones Rotæ ad nostram hanc majorem probabilitatem confirmandam.

6. Huc denique pertinet, ne Locator locet rem, de qua disponere non potest; tunc enim traderet rem, quasi substantialiter vitiatam, ut ex se patet.

7. Quid, si res sit æquè communis pluribus, & unus velit rem communem alteri locare, alter vererò nolit?

8. Respondeo, Assero Primò, valere locationem, si socius sine iusta causa dissentiat; socio tamen debetur pars pensionis, quamvis res locetur, absque ipsius consensu, quia adhuc illa pars est fructus rei suæ.

9. Assero rursus, si alter ex dictis sociis habet notabiliter majus Ius, huic, utpote principali competere Ius locandi.

10. Assero tertio, eum, qui vult locare rem personæ honestæ, præferri ei socio, qui vult locare inhonestæ, nisi hæc plus offerat.

11. Assero quarto, quando socii sunt æqualis Iuris, & propter aliquam causam dissentiunt, vel per fortes, vel per Iudicem contentionem dissolvendam fore. Lege Bonacianam d. 3. de contr. q. 7. p. 1. n. 7. alios citantem.

An locator teneatur ad expensas rei locatæ.

12. Non est sermo, quando sive tacite, sive expressè præcessit aliquo; pactum, vel quando consuetudo iusta, & legitima Regionis est, ut Locator, non solvat expensas, sed loquimur, nullo præcedente pacto, vel consuetudine.

13. Et quidem aliæ ex his expensis sunt necessariæ, aliæ, licet non necessariæ, sunt tamen utiles, ut si illa factæ fuissent ad plantandam vineam in agro, &c. alæ, nec utiles, nec necessariæ, sed solum facientes ad ornatum, quas voluptuarias lib. 8. in Decalog. tractatu 3. cap. 3. §. 5. num. 13. appellavimus, ut sunt fontes, statuae, &c.

De expensis necessariis.

14. Primò ergo, si de necessariis loquamur, est distinguendum: Vel sunt necessariæ ad colligendum, v. g. fructus ex agro, ut est arare, fodere, metere, & has facere, pertinere ad conductorem, non est dubium: vel sunt necessariæ ad usum, hoc est, ut conductor possit uti re conductâ, quale est reficere tectum domus locatæ, vel reparare murum minantem ruinam; quale est etiam, agro necessarias fossas, & aggeres facere, ne officiant flumina; quale etiam est calcos solveos apponere equis, ad iter agendum; quale denique est medicamenta adhibere eidem equo infirmo, ne sit ineptus ad ambulandum, &c. & has expensas facere, seu quod expensum est, pro illis solvere, pertinet ad Locatorem, quia is debet tradere Conductori rem aptam communi usui, unde, & eam non aptam, aptam reddere. Quod si eas compensare renuat Locator, potest Conductor sibi, ut vult Delugo d. 29. de Iust. n. 67. Molin. d. 496. num. 3. occultè compensare, vel sibi retinere rem locatam, donec ejus usu recompensetur expensæ in ea factæ, quia præsumendo à pacto, vel consuetudine, id probat eadem ratio modò dicta. Non ergo assentior Antonio Gomæ 2. tom. variar. ca. 3. putanti, has de quibus loquimur, expensas si modicæ sunt, pertinere ad Conductorem, non, inquam, assentior, quia, si illud pactum, vel consuetudo non interfuit, eadem ratio, quæ probat de expensis notabilibus, probat de modicis.

De expensis non necessariis, &c.

15. Secundò, si loquamur de expensis non necessariis, sed tamen, quæ non reddant rem locatam meliorem, & utilioiorem, sed solum faciant ad ornatum, vel ad meram commoditatem Conductoris, quas vocamus voluptua-

fas. Tertio, ad reddendam, finito tempore Locationis, ipsam rem integram, sicuti accepit. De singulis sigillatim.

Ex occasione immittit, quis conducere possit?

2. Eum, qui hæc tria servare non potest, vel à lege prohibetur (ut prohibentur Milites, agros conducere) conducere non posse, & eum, qui eadem potest servare, conducere posse, sic facile scitu est, sicuti modò dixi de Locatore. Quare à citatis, & citandis ea pete, si placet. Vide etiam *infra*. Nos, ut promissimus, prædictas tres conductoris obligationes separatim explicemus.

Conductor obligatur ad solvendam pensionem.

3. Hæc obligatio luce clarior est; idè enim conductor fruitur re locata, ut pensionem conventam, & certè iustam (sicuti supponimus) solvat. Quanta autem hæc pensio esse debeat, & nonnulla alia, quæ huic pertinet possent, *infra* tradam cap. 4.

Conductor obligatur ad aliquas expensas.

4. Ad illas conductor expensas obligatur, quas modo §. præced. dixi, esse necessarias pro colligendis fructibus. Lege Layman. lib. 3. tractat. 4. cap. 22. num. 4. & communiter. Quid de illis, quæ fortè sunt necessariæ ad rem, quam quis conduxit; conservandam? (non dico meliorandam, de hoc enim jam dixi dicto §. præced.) Conduxit domum, v. g. sed ecce imminet incendium. Conduxit agrum, sed ecce ab inopinata alluvione est reparandus, &c. ex quibusnam expensis hæc præstanda, si illa pericula in re conducta accidunt sine tua culpa? Nam, si cum culpa tua, non est dubium à te esse præstanda.

5. Respondeo, Delugo loco citato universaliter docet, seculo pacto, vel consuetudine, ex natura hujus contractus conductorem non teneri ad expensas illas, quæ sunt ad perpetuam utilitatem rei locatæ, vel pro longiore tempore conductionis. Ex quibus verbis colligere quis possit, incendium illud domus, & alluvionem illam agri, esse Locatoris expensis avertendâ, quia faciunt ad utilitatem perpetuam rei conductæ. Sed puto, illum non loqui universaliter, sed dumtaxat de expensis faciendis in re ita reparandâ, ut reddatur perpetuò melior, ut si murus novus in domo sit ædificandus, &c. At nos hic loquimur solum de avertendis malis, quibus res conducta periret.

6. Dico igitur, mihi videri esse distinguendum, nam, vel magnis expensis hæc mala sunt avertenda, vel modicis, & ordinariis. Si hoc posterius, debet fieri expensis conductoris. Ratio est, quia, qui rem conducit, obligatur ad illam ordinariis modis, & consuetis, atque adeo ordinariis expensis custodiendam, & ni custodiat, erit in culpa, & consequenter incidet in onus resarciendi totum damnum, quod consequetur: posito enim quòd ipse conductor rem aptam habeat à Locatore, debet idem conductor providere, ne inepta reddatur. Maxime igitur id est notandum; ad mala enim avertenda modicis, & ordinariis expensis, obligatur tu conductor, quia obligatur rem custodire: At ad aptitudinem dandam rei conductæ obligatur Locator, ut docuimus *suprà*, §. præced. num. 14.

7. Confirmatur hæc ex Textu. Item (ait Imperator) prospicere debet conductor, ne aliquid rei lusu, vel corpus deterius faciat, vel fieri patiatur.

8. Si autem contingat illud prius, ut scilicet magnis, & extraordinariis expensis ea mala, casu, vel certè sine culpa conductoris occurrentia, sint avertenda, puto (salvo meliori iudicio) esse id præstandum expensis Locatoris, qui est rei Dominus. Ratio est, quia, præciso alio pacto in contrarium, ad hæc extraordinaria non se obli-

gavit conductor, ne tacitè quidem, quia nemo in hujusmodi contractibus intelligitur obligari, nisi ad consuetam, & ordinariam. Confirmatur, quia mox dicemus, si casu conductæ res perit, Locatori qui est Dominus, perire: ergo, si sit expendum, ne pereat, Dominus expendere debet, præciso, ut dixi, pacto in contrarium. Cum ergo adsit solum pactum in contractu ipso implicite imbiturum de exiguis expensis, ut modò vidimus, non verò de magnis, de quibus hic loquimur, ideo illas solum debet conductor, non has.

9. Quando autem conductor avertit malum magnis expensis suis (quod facere certè debet, si potest, etiam mutuando sibi pecunias, quia ad hoc etiam, quando sine magno incommodo potest, urget illum obligatio custodiendi) debet eas Locator reddere conductori, & eo nolente, poterit conductor sibi occultè compensare, vel retinere tantumdem de pensione, vel etiam, si meliorem modum recuperandi suum non habet, poterit retinere rem locatam, donec ipsi satisfiat ex fructibus, inde percipiendis. Ratio est quia tunc, conductor utilem rem gerit pro Domino, quamvis ad illam ex vi contractus non obligetur. Quæ iustitia postulat, ut sit à Domino resarciendus.

Conductor obligatur reddere eandem rem conductam integram.

10. Id certè maxime est de essentia hujus contractus; cum enim res conducta remaneat in dominio Locatoris, & conductor solum usum illius habuerit, ratio clarè dicit, eam totam, integramque esse reddendam.

Hinc obiter collige, alu consumptibilia, v. g. frumentum, vinum, pecuniam nequaquam locari posse (nisi fortè ad pompam, ut, si locates pecuniam auream ad ostensionem, vel ornatum) quia non potes dare alteri ejus usum absolutum, salva re, cum usus ipse rem consumat.

Quid debeat Conductor si res conducta deterior fiat.

11. Sed quid erit, si res ex aliquo accidenti pereat, vel diminuat? Id certè hic maxime expendum Doctores. Loquamur prius, si id eveniat ex culpa conductoris, non ex si sine culpa.

12. Et quidem, si culpa, vel pueri sciunt, debere à conductore totum valorem resarciri. Quod autem, & qualis debeat esse ejusmodi culpa ad tantum onus conductori imponendum, dicemus cum de contractu Societatis erit agendum, illud denique resolvemus; tunc committi prædictam culpam cum onere restitutionis in foro conscientie, quando quis non adhibet eam diligentiam in servanda re conducta, quam adhiberet in re simili sua custodienda.

13. Verum, ut hic in proprio loco id illustremus, breviter recolendum est. Primum, ex legibus dictum, lib. 8. in decal. tract. 3. cap. 2. §. 4. à nobis esse, juridicam culpam esse triplicem, latam, levis, levissimam. Lata est omisso diligentia, quam solent, in simili adhibere prudentes, diligentesque: levis, quam solent diligentiores: levissima quam diligentissimi.

14. Secundò, recolendum est, quod *ibid.* cap. 5. §. 1. diximus nempe eum, qui rem accipit in suam solum commoditatem, ut est in commodato teneri ex culpa levissima: qui verò in utilitatem solum deponentis, ut in deposito gratis accepto, teneri ex dolo, vel lata culpa, non vero ex levi, vel levissima: qui denique in utilitatem utriusque, nempe tum dantis, tum recipientis, ut in locato ubi alter solvit pensionem Locationis, alter utitur re locata teneri ex dolo, vel culpa lata, vel levi, non verò ex levissima. Atque hæc præscindendo ab alio pacto, quod intervenire jure possit inter contrahentes, ut *ibidem*, & sæpe alibi notavimus.

15. Tertio, recolendæ sunt dispositiones trium legum, quæ maxime ad rem nostram faciunt. Prima lex, *hæc Merces*, §. *Qui Columnam, ff. locati*: *Qui columnam* (inquit)

(inquit) transportandam condaxerit si fracta sit, id periculum est praestare, cuius opera quis utitur, si eius culpa accidit: culpa non abest, si omnia facta sunt, quae diligentissimus quisque observaturus fuisset. Idem si dolus, vel ignis, vel alias res transportandas condaxerit. Haetenus L. x.

16. Intellige autem hoc utrumum (vel alias res) eas debere esse similes columnae, quae in ea asportanda facile frangi vel similes dolio pleno, quae facile effundi possunt. Et Doctores hic proponunt etiam exempla de transportandis vas vitreis. Porro, cur haec lex tam rigorosa est, ut dicat (quae diligentissimus quisque observaturus fuisset,) quod certe est condemnare conductorem ex culpa levissima, cum tamen ex aliis legibus, quas attulimus. l. 8. cit. in Decal. cap. 2. §. 4. sciamus, conductorem obligari solum ex culpa levi, non levissima, cur, inquam, est tam rigorosa?

17. Respondeo, rationem esse, quia ea, quae est levis culpa in custodiendis aliis rebus, est lata, & gravis in custodiendis, vel transportandis iis, quae facile frangi, vel effundi possunt, nam quando quis se obligat ad haec transferenda, se etiam ex pacto, saltem implicito, obligat ad exactissimam diligentiam, cum te obliget ad transportandum secundum artem, & secundum operam, quam in illis rebus periculosis ipse poneret, si res esset propria: artem, secundum artem, & secundum operam, haec requirunt diligentissimam cautionem: hanc igitur, qui eam conduxit, promittit, eandemque servare ex iustitia debet. Atque hinc confirmatur illud, quod toties à me locis citatis, & alibi inculcatum est, nempe eam negligentiam, quae levis est in uno opere, v. g. in custodienda terra, non esse levem, sed latam in alio, v. g. in mendo agro, imò in eodem agro, culpa, quae levis est in mendo levi ejus dolore capitis, gravis certe erit in mendo vehementi febris; quia res ipsa, quam quis suscipit faciendam, quasi juxta suam levitatem, vel gravitatem clamat, ut proportionata diligentia non amittatur.

18. Secunda dispositio: An (inquit Textus L. Videmus. ff. locati,) servorum culpam, & quoscunque induxerit, praestare Conductor debet? Et paulò post: Mibi placet ut culpam, etiam eorum praestet, si tamen culpam in inducendis admisit.

19. Haetenus Lex, Cujus est sensus. An, si incendatur, v. g. domus conductae ex culpa tui servi, tu debeat resciscere damnum, ac si tua fuisset culpa.

Respondet Jurisconsultus distinguendo: Si tu cum culpa induxisti servos illos, nempe cognoscens, ille pravo, vel inepto, debes: Si sine culpa, non debes, quia tunc respectu tui, censetur fuisse casu domus incensa.

20. Quod si quis aetas, quae nam culpa haec esse debeat, qua tu condemneris ex delicto servi, vel operarii à te, inducti?

Respondeo, certe gravis, quae scilicet defeceris in eligendis servis, & quidem juxta modò dicta, ut major diligentia opus sit in eligendo operario ad res majoris momenti, quam ad minoris. Et sanè in foro externo facilius in hoc casu condemnaberis (cui standum erit post sententiam) quam in foro interno, nam Judex faciliè praesumat tuam negligentiam, eum in conscientia faciliè excusare poterit ignorantia, inadvertentia, bona fides, quae servum illum, nihil mali futuri praesciens, vel suspicatus, induxisti.

21. Tertia dispositio: Si hoc ait L. Eundem, §. Si hoc, in Locatione convenit, ignem ne habeto, & habuit, tenebitur, etiam si fortuitus casus admisit incendium, quia non debuit ignem habere. Et ibidem, §. ultimo: Convenerat, ne in villa urbana fennum componeret, &c. posuit, deinde servus igne illato succendit; ait Labeo, teneri conductorem ex locato, quia ipse causam praebuit inferendo fennum contra conditionem.

22. Haec ibi. Cur autem haec? quia jam paulò antè monuimus, pacta juxta esse servanda, secus damnata sequuta meritò imputantur ei, qui pactum non servat.

23. His in memoriam redactis, ut quod modo

num. 10. illustrandum proposuimus, affectum quorundam recedens equum, v. g. locatum, & is casu moriturus secundò, equus locatus itum fuit ad tot nullam praeveam praecipere ruar: S, tertio, idem locatus fuit ad bellam sarcinam, nisi equitem portandum, & tu contra bellas, unde, & pariter moritur equus.

24. Respondeo, te teneri ad omnia damna facta casu appareat, eodem modo moriturum fuisse equum inventus fuisset in potestate Domini: de qua tamen in num. 7. à nobis expensa.

25. Quando tamen rationabiliter conjetis, non esse contra voluntatem Locatoris, te ad alium vltum te condudta uti, tunc certe nec culpam, nec restitutionem quaeris.

26. Sed quid, si mala putatione vites, v. g. inferenda reddidisti pro aliquibus annis post finitum tempore condictionis; Quid, si de muro domus tuam dante Domini domus tuam succurreret, non de munitis? Quid, si ob negligentiam, servitum tuum in praedum conductum permisisti; Quid, si in tempore tempestatem contra navem conductam, cum possessione praecavisti.

27. Respondeo, Teneris etiam ad ejusmodi damna, non quidem ex pacto explicito, quod supponimus hic non adesse, sed ex implicito, quod Locator implicitè promittit, rem locatam, ut suam custodire, ut modo quo in superioribus dictum est. Denique lege tantum titulum ff. locati, & conducti, ac Jure peritos in eodem locum, nam innumera his similia non distulere inuenies.

28. Si nulla culpa conductoris res conducta perierit, sed casus & fortuna, planum est, & legis praedictae millies repetunt, nullo foro teneri conductorem, nisi aliquod justum pactum praecesserit, &c. nec aliter hoc in re dicendum occurrit, quod ex dictis colligi non possit.

29. Sed quid in dubio? Si domus conducta incendio consumpta est, & dubitetur de incendi causa, conductorem praesumetur fuisse in culpa incendi?

Respondet, cum Laym. l. 3. tit. 4. c. 12. num. 6. etiam Malec & Menoch, nequaquam praesumitur conductorem absolvendum esse, nisi Locator culpam ostenderit. Bona universalis est, quia delictum nunquam praesumitur, nisi elare probetur. Aliam rationem pro incendio legitur eundem Laym.

CAPVT II.

Explicans illud descriptionis.

Rem, vel personam aliquam, etiam si ipsam concedit Conductori.

1. Potest enim locari non solum res, sed etiam persona quae obligat suam famulatum, seu operam suam alteri. De persona commodius dicam in calce hujus tractatus separatim. Quare de re hic dumtaxat agendum.

2. Res ergo, quae locantur, possunt esse sive mobiles, sive stabiles. Sic locatur domus, praedium, equus, vel alia, &c. Et quoniam nomine stabiliam veniunt etiam parvae si quis habeat Beneficium Ecclesiasticum, quod est Jus ad percipiendos fructus Beneficij, vel portuaria aliqua bella; habet enim Jus illam exigendi, idco etiam haec locari possunt, pro pretio, omnibus expensis jure duntaxati modo sit memor, omnia, quae vendi possunt, posse, & locari exceptis iis, quae lege prohibentur.

3. Prohibentur autem primò, locari praedia Ecclesiae. Extravag. Ambit. Lege Doct. cit. à Mol. 465. nulli ad titulum. Vide mox num. 7.

Secundò, prædicta quæcumque conduci à Militibus, L. iis, quis obligari sunt Curia, L. Milites, L. Curiales ff. locati, & Curialibus venturum.

Tertiò, prædia eadem quæcumque prohibentur conduci à Clericis negotiandi causa, licet idem possint succedere conductio. C. 1. de vit. & honest. Cleric.

Quartò denique, domus vicina habitationi Magistrorum, L. m. C. de studiis liberal. urb. Roma, & l. 1. de stud. literarum, prohibetur locari fabro, aut alij magistro, quando eorum voces confunderentur. Circa hoc tamen notat Bonac. de contr. quest. 7. part. 1. n. 2. non videri esse in usu, nisi reclamet Magister.

4. Illud quæri hic primò potest: An si quis pauper obtineat facultatem à Pontifice, vel Episcopo petendi elemosynam, possit hoc, (ut ita appellemus) Ius locari, alteri pro tanta pensione sive diurna, sive mensura, sive annua?

5. Concedit Sanch. lib. 1. consil. c. 7. dub. 2. quia, inquit, nullo iure id prohibetur, & pauper tunc locat Ius, quod habet, esse contractus Fortune, nam, si, v. g. omnibus expensis circumstantiis, locetur facultas petendi elemosynam in hac frequenti Civitate pro pretio decem aureorum, potest evenire, ut Conductor percipiat plus, vel, ut percipiat minus. N. gat. veid. Delugo d. 19. de Inst. n. 4. Ratio eius potissima est, quia, quicquid sit, an sit iustus hic contractus inter conductorem, & locatorem, crit iniustus contra Fideles dantes elemosynam, qui volunt dare pauperi, non veid. huic conductori, qui pauper non est.

6. Sed certè responderi potest huic argumento, nam Fideles sic dan. Jo. dant mediata ipsi pauperi. Quare prior sententia, quam docet Sanchez approbari potest, modò nihil aliud addatur, quod iniustitiam redoleat. Illud negare non potuit *ibidem* Delugo, non fore contra voluntatem Fidelium, quando ipse pauper petere per se ipsum nequit, ut petat alius, cui detur ex eadem elemosyna pretium sui laboris.

7. Potest secundò quæri maior explicatio vocis illius *Triennium*, dum Pontifex prohibet, ne prædia Ecclesie locentur, nisi ad *Triennium*, De qua re ego sic ratio-cinor:

8. Annus in Iure duplex est: Ita apud Glossam in l. C. de temporibus in integrum Restitut. Bald. *ibid.* & in *Adem*, col. 1. C. locati. Rebuff. cum Prator. ff. de verb. signific. Covar. loc. mox citando: Alius continuus, alius utilis: illum appellarem physicam, hunc veid. moralem; Continuus, seu physicus currit, completiturque duodecim non interruptis mensibus, etiamsi in his dies adint aliqui, in quibus actor agere non valet, nec reus se defendere, nec operam dare cautæ Iudex, quos dies, meritò, vocamus inutiles.

9. Annus autem utilis moralis constatur, completiturque duodecim mensibus, qui careant legalibus impedimentis, puta, quia sint ad litigandum idonei: etiamsi plures dies supra duodecim menses physicè continuos sint necessarii, ad complendos duodecim menses litibus aptos.

10. Ex hac certa, & iuridica Anni utriusque significatione manifestè colligitur, duplex esse *Triennium*. Aliud continuum physicè; Aliud utile moraliter. Illud continet tres annos sine interruptione; Hoc autem complectitur annos tres, dempsit diebus inutilibus, atque adeo comprehendit aliquando quatuor, aliquando quinque, aliquando sex annos, iuxta interruptionem, quam dabunt dies inutiles, eo tempore occurrentes. His habetis:

11. Dico, in *extravag.* citata, valdè probabile esse, *triennium* sumi pro triennio utili, hoc est, includere tres annos utiles ei, qui prædium ab Ecclesia conducit, atque adeo tres fructificationes, quas dictum prædium progignit. Hoc dictum explicabitur, & probabitur verbis Filliucij tom. 3. tract. 4. cap. 2. num. 8. citans Navarr. Covar. Ioann. Andr. Barbant, Azor. Quarantiam. Ita etiam docet Barb. in *Collect. ad dictam extravag.* num. 9.

Part. III.

referens Riccium, Bonac. in alioque, qui sic habet: *Itaque, si sit fundus, qui alternis annis tantum sit fertilis, poterit locari ad sex annos; si tertio quoque anno sit fertilis, poterit locari ad novennium; quod idem Doctores diserte docent. Ratio huius est, quia Annus in Locatione taxatur ex simplici decursu temporis, sed ex decursu cum proventu fructuum. Quare, ubi fundus alternis, vel tertio quoque anno fertilis est, tunc biennium, vel triennium computatur pro annuo tantum spatio: atque ita fundus, qui in sex, vel novem, annos locatur, si hoc toto tempore ter tantum fructus ferat, veid. in tres annos locatur; nimirum utiles, & feraces. Hec Filliuc.*

12. Ex quibus vides, quatio Pontifex vult locationem feudi Ecclesiastici ad triennium tantum, & non ultra, velle triplicem fructificationem, & consequenter, si pro eiusmodi triplici fructificatione requirantur quatuor anni, vel quinque, vel sex, vel septem, vel plures, semper fore locationem ad triennium. Et ita sumi locationem ad triennium concessam à prædicta extravaganti notant Doctores allegati.

13. Sed ecce scopulus: Ergo, si ager Ecclesie fructificet bis in anno, ut in quibusdam locis accidit, non poterit locari, nisi ad annum, & menses sex.

14. Respondeo: Hunc scopulum non advertunt prædicti Doctores, ego, qui adverti, facti via declinare illum sic volo. Cum sententia asserens, nomine triennij, in hac extravaganti, intelligi annum continuum physicè, qui est annus naturalis, sit satis probabilis, illam u sequi poteris, quando agrum Ecclesie, bis in anno ferentem fructus, locatus es, & sic per tres annos naturales illum tutò, ex dicta probabili sententia locabis.

15. Verùm, nondum omnia sunt explicata; Magna enim est cura sciendi, quidnam intelligatur nomine fructificationis.

Dico, non intelligi germinationem herbarum inutilium, quæ sponte ex terra nascuntur, quia nullus huiusmodi germinationem appellat fructificationem, cum ea, vel non colligantur, sed à bestis communiibus depascantur, vel certè (ut supponi debet) non sint illi fructus, qui à Conductore, & à Locatore fundi Domino intenduntur.

16. Meritò igitur idem Filliuc. loc. cit. num. 8. initio, dicit fructificationem esse editionem Fructus iusti. Fructus autem iustus (ut ego interpretor) est ille, quem fundus more consueti ex cultus emittit, ut frumentum, hordeum, vinum, &c. vel qui communiter, ut fructus expectatur à Colonis, quales sunt glandes, castaneæ, & poma silvestria, quæ etiam sine cultura, sed cum Domini proventus, à terra progignuntur.

17. Meritò item Covar. t. 2. var. lib. 2. cap. 36. n. 6. sic habet: *Extravagans Ambrosia intelligenda est in Fundis, seu terris, quæ quolibet anno coluntur, & ex eis fructus, quolibet anno colliguntur. Alioqui, si res Ecclesie eius sint conditionis, ut eo quolibet triennio unicus tantum fructus percipiantur, poterit in novem annos locari.*

18. Hæc Covarruvias. Dixit autem (in fundis, & terris) Nam si nemora, & arbores silvestres singulis annis suos silvestres fructus edant, castaneas, glandes, ligna, &c. certè ea singulis annis fructificationem propriam habere dubitare nullus potest, quia hi sunt fructus, qui ab eiusmodi silvis expectantur à conductore, qui que locantur iusto pretio à Locatore.

19. Ex prædicta doctrina voluit doctus quidam Theologus excusare quendam Abbatem Sanctæ Mariæ de Nemore in Territorio dicto Catamanro, qui superioribus annis locaverat Ecclesie suæ fundum ad quinquennium, contendebat enim, eum id legitime potuisse quia in eo quinquennio physico vix triennium utile continebatur.

20. Hæc excusatio pro nostris Siculis regionibus mihi diuicilis visa est, quia eiusmodi feuda, taltem ut plerumque, apud nos sunt omnibus, & singulis annis fructifera, siquidem, sive frumentum, vel quid simile ferunt,

Cc

ex cultura, sive herbas, quæ certè non sunt communes omnibus, nec à Dominis negliguntur, sed venduntur passim, sed locati solent, sed fructibus silvestribus Arborum comparantur: quare, qui ea conducit, colligit singulis annis proportionatos fructus, licet altero anno parciores, altero pinguiores, & qui eadem locat proportionatum item suum pretium semper acquirit.

CAPVT III.

Explicans illud descriptionis,

Ad usum, vel fructum.

1. AD usum locatur, v. g. vestis, equus, domus, &c. Ad fructum locatur ager, grex, vinea, &c. ex quibus conductor fructus colligere, eosque sibi consumere potest. Sibi, inquam, vel cui lus suum sublocavit. Non enim ex vi contractus prohibetur conductor (nisi aliud explicitè, vel implicitè conveniatur) rem sibi locatam alteri sublocare. Vide Laym. lib. 3. tr. 4. c. 22. afferentem illud juris *Nemo prohibetur rem, quam conduxit fruendam, alij locare, si nihil in contrarium conventum fuerit.*

Quando autem affuerit, vel non affuerit implicitè hæc conventio, colligi ex circumstantiis debet. Si enim ego tibi honesto viro locavi domum honestam meam, non potes illam meretrici sublocare, quando id in domus meæ dedecus vertit, & sic in similibus.

2. Vsu consumptibilia non possunt locari, nisi fortè ad pompam, recolo, me dixisse *superius, c. 1. §. 2. num. 10.* Vt etiam ex supradictis colligi potest, ad alium usum, præter illum, ad quem conventum est cum Locatore, non posse re condita te uti. Inde item manifestè consequitur, te non posse ad diversum usum alteri rem conductam sublocare, nisi ex rationabili præsumptione voluntatis Domini, &c.

An fructus omnes à conductu sint Conductoris?

3. His porro, quæ satis sunt declarata, suppositis, inquires: Fructus agri, propter quos conductor pensionem solvit, suntne Locatoris, qui est dominus proprietarius agri sui, an Conductoris, qui est veluti usufructuarius?

4. Respondo: Antequam obligentur (quando vocantur à iuris Consultis fructus pendentes) sunt proprietarii. Ratio est, quia tunc fructus faciunt unum cum arboribus, & plantis, cum igitur hæc sub Proprietarij sint dominio, erunt eiusdem, & illi.

5. At verò, postquam sunt collecti, & separati à prædio, sunt conductoris, ut habet *Moh. d. 497. Delugo d. 29. de Inst. n. 26.* contra *Gloss. Barb. aliisque*, etiam si is nondum solverit pensionem. Interim tamen Dominus agri habet hypothecam in dictis fructibus, id est, ipsi fructus sunt pignus, seu tacite subiecti pro pensione solvenda, unde rectè appellaretur fur ille conductor, *L. Si servus communis, §. locavi, ff. locati*, si clam eos extra prædium asportaret, Locatore invito. Quod autem fructus naturales sint pignus pensionis solvendæ, apertè habetur in *Iur. L. in fruct. ff. in quibus causis pign. vel hypoth.*

6. Ex hac secunda parte responsionis confirmari potest decisio, quam affert *Diana p. 3. tr. 1. ref. 19.* Lege etiam *Rebell. p. 2. l. 1. 4. q. 9. n. 10.* *Coloni* (inquit) *Religiosorum tenentur solvere gabellam ex fructibus collectis, si eosdem deserant de loco ad locum, aut alienent; tunc enim sunt bona Laicorum, & non pertinent ne indirectè quidem ad Ecclesiasticos.* Ita *Fill. tom. 2. tr. 16. c. 11. n. 302.*

7. Hæc ille. Qui dum dicit (*ne indirectè quidem*) non propterea negat esse pignus pensionis solvendæ; quamvis enim sint omnino in dominio Religiosorum; quia tamen eiusmodi Laicus est Conductor, non Dominus, illi fructus non amittunt subjectionem, qua insciuntur de pensione solvenda Religiosis.

8. Ex prima autem parte pensionis confirmari potest decisio ab eodem *Diana ibidem allata.* *Coloni* (inquit) *verè gabellam unigò dicitam.* *Del Fiore:* quia, quæ dicitur *Gabelloti taxati;* & *pretium dicitur gabellam;* fructus autem *est separatus à solo Ecclesiastico immuni à gabella,* & *Caroli de Grassi;* de effectibus. *Cleric. ff. de iur. viri.* In facti contingentiâ hic *Panormi* fuit decisum pro *Melitenis* contra dictos *Gabellotos*, qui præcedenti *Gabella fructuum ab ipsis Emptoribus,* & *hoc, quia fructus non erant separati à solo tempore venditionis.* Hæc *et Diana*, quasi is, & *Carolus* dicerent, quia illi fructus non erant separati à solo, id est, ab arboribus solo affixis, sed immunes à gabellis, sicuti immune erat ipsam *Viridarium.* Lege item *Reb. l. c. n. 1.*

Quæstioncula incidens, An à Pharmacopola locari possit Medicinæ?

1. Denique ex eo, quod usu consumptibilia non possunt locari, inveniuntur locari non possunt, resolviunt, an istum sit ille contractus, quem affert, & commendat *Megall. de Delugo, d. 29. de Inst. n. 84.* *Diana p. 1. tr. de contract. §. quemque ego* elaritat gratiâ sic expeditis porro *Pharmacopola* locat per octo, v. g. annos alteri officinam, vasa, tabulata, & item medicamenta in vasis contractum modo alter reddat interim triginta aureos, & pro singulis annis, decem pro officina, decem pro vasis, decem pro medicamentis; exactis autem octo annis, omnia reddat integrè cum similibus medicamentis. Vt autem sciatur, quid sit restituendum, præcedit æstimatio prædictorum, Resolvitur, inquam, contra *Megallam*, istam iniri locacionem quoad viginti aureos pro officina, & vasis, supponimus enim, per expertos pensionem illam æqualem iustificari pro officina, & vasorum usu annuè: quoad decem illos aureos pro medicamentis dico, quia esse iniustitiam, nam medicamenta sunt usu ipso consumptibilia, quæ locacioni subiacere non possunt, ut dicitur *est & patet:* Quid enim locus Respondet bis usum medicamentorum. Legitimè resp. ondisti. At usu ipso medicamenta destruantur, ergo si conductori illorum usum dedit, & ipsa medicamenta usu ipso destruantur, & consequenter nihil apud te illorum remanet, à quo fructum pensionis exigere possis.

2. Dices: Esto, non sit locatio, erit iusta venditio medicamentorum seu permutatio horum cum aliis medicamentis in fine designati temporis subtogandis.

Respondet: Legitimè iterum locutus es. At, si ea medicamenta vendidisti, seu permutasti, erunt illa in dominio ementis, vel possidentis; ergo nihil horum ad te pertinet, ex quorum fructu pensionem exigas. Solum hæc ea medicamenta, dum non destruantur, remanebunt hypothecata ad pretium venditionis, ut erunt in cæcis rebus venditis, pretio non soluto.

3. Quod si dicas, Medicamentorum te remanere Dominum, sequitur, te illa nequaquam vendidisse, unde & sequitur Conductor rem iis uti non posse, cum in his dominium non possit separari ab usu. Vnde & denique sequitur iniuste te exacturum fore pensionem à te, cuius dominium, & usus remanent apud te.

CAPVT IV.

Explicans illud descriptionis,

Sub certa, iussu, & que pensione.

1. Circa pensionem à Conductore solvendam, quæ aliquando est in pecunia, non raro autem in fructibus, puta in tot mensuris fumenti, olei, vini, &c. v. g. dum est, quanta, quando, & ubi solvenda?

§. I. Quarta pensio solvenda sit?

1. Profecto quanta per justam conventionem decreta est: juste autem decernitur, si iudicio experti, & omnibus consideratis, ipsa non excedat fructus speratos, deductis expensis, ceterisque subducendis, qualia sunt, Gabelle, debita forte aliis ex aliis titulis, &c. Hac igitur re, tanquam nimis manifesta, constituta adhuc.

Lesio in pensione quid operetur?

2. Inquires primò: si sive Locator, sive conductor lædatur in pensione, daturne ipsis semper actio, qua refarciri læsio possit?

Respondeo: Diximus, cum egimus de contractu venditionis, dari, Ex lib. 2. C. de rescind. vendit. in foro externo actionem, & remedium læso ultra dimidium justipretij, non autem læso infra dimidium ejusdem pretij. Diximus item satis communem esse doctrinam, in foro interno semper obligari lædentem refarcire læso, sive læsio fuerit ultra, sive citra dimidium. Idem ergo dicendum erit de Conductione, & Locatione propter paritatem rationis.

3. Signatè dictum est (satis communem esse sententiam) nam, quando læsio est infra dimidium, nonnulli tenent, non obligari id quod fusiè supra, in tract. de Censibus, cap. 7. §. 8. à num. 8. agnavimus.

Inutilitas rei locatae, an demat de pensione.

4. Inquires secundò: Si forte res locata inutilis reddatur ad usum conductoris, sive ex toto, sive ex parte, debebitne eadem pensio solvi?

5. Respondeo, esse distinguendum cum Laxman. l. 3. p. 4. cap. 22. num. 3. Vel enim primò, inutilis res conductoris est propter impedimentum, quod se tenet ex parte ipsius conductoris, ut, si ipse, quia est, v. g. infirmus, non potest colere agrum conductum, vel quia fuit in carcere, non potuit habitare in domo conductâ, unde ager, & domus conductoris inutilis fuerunt, & in hoc casu debet à conductore totam pensionem solvi, dubium nequaquam sit; quia tunc res conductâ veluti parata sunt ad serviendum conductoris, & per domum, vel agrum non stat, &c. Num propterea, si famulum conducas, & per ipsum non stet operari, sed ex eo, quod tu, impeditus ob morbum, v. g. illi operas faciendas non offers, ad stipendium eidem solvendum obligaris, præscindendo ab alio pacto expresso, vel tacito, vel legitima consuetudine regionis, quia non est defraudandus sua mercede is, qui ex se tibi servire paratus est.

6. Vel secundò, inutilis conductoris est res conductâ propter impedimentum, quod se teneat ex parte rei locatae, ut, si incendio conflagravit domus, alluvione ager fuit destructus, bello ingruente res derelicta, justa lite ab alio præliam fuit evictum, & in hoc casu Regula Generalis est, quando sine culpa conductoris hæc, sive ex toto, sive ex parte eveniant, esse sive totam, sive partem pensionis diminuendam, Semper excipe (nisi, ut modò in simili dixi, aliquo justo pacto contrarium sit conventum.) Ratio Regulae est manifesta, quia pro usu conductor accipit, & pro eodem Locator rem illi tradidit: hoc igitur nisi sine culpa conductoris amoro, amovendum est onus pensionem solvendi. Immodò addi debet, quando in hisce casibus adest culpa Locatoris ipsius obligari non solum ad damna, quæ ea de causa sequuntur conductori, sed etiam ad omne lucrum cessans: & quidem non solum ad lucrum cessans intrinsecum, hoc est, quanti pluris in se valituri erant illi fructus, atque usus rei locatae, sed etiam ad extrinsecum, id est, quantum cum illis lucraturus, deductis deducendis, fuisset conductor, si cum illis fuisset negotiarius. Ratio est, quia omnium horum causa

Pars III.

est Locator, si ejus culpa desit conductoris usus rei locatae. Idem diximus in mutuo, si mutuantis pecuniam, tempore, cam non restituit. Lege Molinam d. 493. n. 5. Bonac. disp. 3. de contract. quest. 7. p. 3. à num. 6. Sa Less. Filliuc. Rebel. aliisque ab eod. citatos.

Rem conductam relinquere ob pestem.

7. Subinquires primò: Si propter pestem deferatur à me domus conductâ, etne judicandum, relinqui à me qui sum conductor, culpa mea?

Respondeo: Si deferatur tota ferè Civitas peste infecta, unde, & tu cum aliis relinquis dictam domum, non est censenda tua culpa, nam propterea pensio à te solvenda non erit, si verò deferatur à te solum domus illa, erit subdistingendum, nam, si domus est infecta peste sine tua causa, non debebis pensionem, si verò domus, tua culpa, vel causa contraxit contagium, & idem est, si cum libera sit contagio, illam tamen tu deferere velis, pensionem debebis. Ratio est, quia ibi non tua culpa, hæc tua culpa, seu causa, domum derelinquis. Ita Delugo d. 19. de Inst. num. 29. Esto, aliqui cum Molina ab eodem citati, absolute negent, à te deberi tunc pensionem, & esto, alii cum Panormitano, & Lessio absolute affirmant, saltem ex consuetudine deberi: esto (inquam) nam allata à nobis distinctio est rationabilior, dummodo fatearis, si alicubi alia sit consuetudo legitime introductâ, non esse ab ea recedendum.

Res conductâ, si sterile fiat.

8. Subinquires secundò: Si propter sterilitatem ager, vel molendinum; v. g. nullos, seu paucos fructus pariat debet iturne tota, & integra pensio?

9. Respondeo primò: Cum communiter conductor, in his conducendis, solet ex pacto in se periculum sterilitatis totum suscipere, sicuti suscipit totam spem abundantia, ideo communiter tota pensio debetur.

10. Respondeo secundò, licet ex vi contractus conductionis hæc pericula, æquè, & spes magni lucri ex ubertate fructuum, pertineant ad conductorem, ad quem pertinent fructus pro tempore conductionis, sicuti similia pericula, & spes pertinent ad eum, qui agrum emit, non verò ad eum, qui illum vendidit, ut notat Lessius, l. 2. c. 24. num. 16. & Molina d. 495. num. 4. tamen (præscindendo à justo aliquo pacto) ob quandam æquitatem, & in ænitatem Iuris: L. Si merces, §. vis major. L. Ex conducto, §. Si vis ff. locati, L. licet, C. locati, introductum est, ut notabili sterilitate ex quacunque causa proveniente, remittatur, vel, juxta mensuram sterilitatis, diminuaturs pensio; id, quod per minores casus disputatum videri potest apud citatos, & apud Iurisperitos in eadem leges, apud quos, scilicet Molin. Less. l. c. Dian. p. 3. tract. 6. Miscel. ref. 17. Bonac. d. 3. de contr. quest. 7. p. 3. à num. 13. etiam habebis, quid intelligatur nomine magna, seu notabilis sterilitatis; An semper incumbat conductori onus probandi sterilitatem; An si conductor denuntiet casibus fortuitis, intelligatur de solitis; An etiam de insolitis, & si de insolitis; An etiam de inopinatis, vel de inopinabilibus sive quoad sterilitatem ipsam, sive quoad alios casus, &c.

Rem conductam relinquere Domino, qui eam possit alteri locare, an minuat de pensione?

11. Subinquires tertio: Si impedimentum ex ipso conductore proveniat, relinquat autem dictus conductor rem domino, qui dominus possit alteri locare, obligabiturne conductor ad pensionem solvendam?

12. Respondeo: Obligabitur, & quidem ad totam pensionem; nec enim assentior Less. l. 2. c. 24. n. 10. asserteri, tunc propter libertatem, quam conductor relinquit domino, ut is possit eam rem alteri locare, debere aliquid minus, etiam si deinde dominus actu non locet (nam si de facto

C c 2 facto

facto locat, mox dicam) non essentior (inquam) quia tota pensio ex contractu debetur Domino, & sibi imputet Conductor, quod nolit re uti, nam illa libertas parum utilis est Domino, si de facto non locet, cum, contra pensio illi certe integra debeatur. Aliqui afferunt contra nos Molinam, d. 493, num. 4, sed, Textu Molinae diligenter expento, dico, immeritò illum contra nos afferri; neque enim contrarium nostrae doctrinae docet, nisi quando Conductor consentit. Ecce Molinae verba: *Si superveniat impedimentum ex parte ejus, qui domum, v. g. conduxit, ut si eam non possit habitare, quia aliò migraturus est, vel ob aliam fortuitum casum se tenentem ex parte ipsius, tenetur ad pensionem integrè solvendam Locatori, nisi cum eo consentiente paciscatur, ut remittat aliquid ratione potestatis, quam illi faciat locandi rem alicui alteri, ut potest juxta ea, quae dixi disput. 489. Ita habetur l. sed homines, §. cum quidam, ff. locati. Haec Molina. Nota illud (cum eo consentiente?)*

13. Illud tamen esto certum, si Dominus alteri locet aequali pretio suam rem, ut etiam si famulus expulsum à Domino inveniat, qui aequali pretio serviat, nihil tunc debetur à primo conductore, vel à praedicto Domino, quia tunc ipsam Conductorem rem conductam deseruisse, vel famulum fuisse expulsum, nihil damni intulit. Si locet minoris, debetur, quod deest ad aequale, certum etiam sit ex dictis.

14. Sed quares, quid si majori pretio? Locasti, v. g. Petro domum centum aureis ad annum; deservit eam Petrus: tu vero eandem locasti Francisco ad eundem annum aureis centum & decem: ille excessus, id est, decem aurei, cui debebantur? tibi, an Petro?

15. Respondet Delugo, d. 29, citata num. 30. Petro primo conductori, quia sicuti res vendita fructificat Domino, qui eam emit, sic res conducta pro tempore conductionis fructificat conductori, qui eam conduxit.

16. Sed ego circa hanc questionem duo considerabam. Primam, certum videri, tibi Domino domus deberi pretium notabilem laboris, & industriae, si fortè illam adhibuisti, in quaerendo alium conductorem, ad quem quaerendum tu non obligaberis. Secundum, non videri verum, in hoc casu rem conductam fructificare primo conductori; conductor enim ille eam rem renuntiat, & Locator acceptat, resumit enim domum suam: ergo fructus erunt Locatoris, qui est dominus, vel certe, etiam si ejusmodi renuntiatio valida non esset, adhuc illi fructus tunc non essent conductoris, quia cum rem dereliquit, videtur etiam abdicare à se, & veluti pro derelictis, habere fructus quoscumque, sive copiosos, sive modicos ex illa proveniendos. Vidit hoc Molina, d. 493, n. 4, sine, idque non obscure insinuavit: *Licet Locator (ait) non teneatur locare alteri rem illam, possitque accipere integram pensionem à primo Conductore; si tamen illam locet, non facta prius translatione, & compensatione cum primo Conductore, utique tenetur deducere de prima pensione pretium, quod pro secunda locatione accepit, nisi primus Conductor, quasi pro derelicto relinquitur usum illum, ac fructum illius rei toto illo tempore, ad quam habet ius, etiam ut ipse possit eam locare alteri. Haec tamen Molina.*

17. Ex dictis ergo ad questionem propositam respondendum est, cum distinctione; nam si primus conductor non abdicat à se rem conductam, verum est, excessum ipsi competere, at si abdicat, ut certè saepissimè accidit, dum is rem conductam derelinquit, tunc sanè excessus ille pertinet ad locatorem, qui est dominus, & primò occupat.

§. II. Quando pensio solvenda?

1. Quando aliquod pactum designans tempus praecessit, vel consuetudo Regionis explicuit, solutionem fieri, sive in fine anni, sive in fine ejusdem mensis, & quidem, vel totam, vel partem, dimidium, v. g. post semestrem, & aliud dimidium post finem anni, vel quid

simile, non est difficultas; tunc enim ejusmodi pacta legitima consuetudines sunt servandae. At ubi nec per etiam est, nec ulla consuetudo, quaerendum solutio est peragenda?

2. De eo ex circumstantiis, & natura rei considerandum id esse dignoscendum: Si enim ad annum locet, vel si ad annum dimidium, vel si ad mensem, certè in fine anni designati temporis erit solutio praestanda; id enim non obstat (ad annum, ad dimidium, ad mensem.) Et ratio prior est, quia tunc aequum est, ut solvan tibi pensionem, quando jam habui totum usum rei: tunc autem, necesse est usque ad finem concessi temporis totum habere. Unde propter eandem rationem, si rem naturaliter fructuifera loces, tunc videtur conventum tempus solvendi, quando colliguntur fructus. Quod si loces per quinque, quinque, plures annos, tunc etiam in fine singulorum annorum erit facienda solutio, quia ex communibus illis, & legibus, C. Scire debemus, L. Pluribus, ff. de verb. signific. modo una locatio plurimum annorum, aequivalere pluribus annis. Ita Mol. d. 497, n. 1. Bonac. d. 3, de contr. 47, p. 2, n. 5. quibus utuntur leges, & doctores.

3. His tanquam communibus, & certis jam habitatis, mihi sese offert haec dubitatio: Petrus locavit Paulum domum per novem annos, qui Paulus ostendit dissipatam, quae restantur ipsam solvisse pensionem per novem annos ultimos, & proximos elapsos, teneturne solvere pensiones antecedentium annorum?

Respondeo, cum Textu Juris, L. Qui cumque, C. de Apochis publicis, qui sic disponit: *Is, qui a penitis se in solvendo proximo annis solvisse retro solvisse praesumitur, nisi contrarium probetur.* Atque ex hoc (nisi contrarium probetur) sequitur, ut si verè solvite non fuerint, obligentur conductores solvere in conscientia, & locator exigere possit, etiam se occultè compensando juxta Regulas justae compensationis. Excipe, nisi aliqua retro antecedens pars facta legitime praescripta.

4. Quid, si omnibus conjecturis expensis (respondunt Menoch. de praesumptionibus, & Malcardus de probationibus) dubium sit, an conductor pensionem solverit?

Respondeo, deberi à te conductore pensionem, quia locator est in possessione crediti contra te. Vale tamen, quae ego l. 1, in Dec. c. 3, §. 7, v. Restituit, dixi universales de eo, qui dubitat, an restitutionem exhibuerit.

§. III. Vbi solvenda Pensio?

1. De hac re, quando solvendum aliquid contingit ex aliis capitibus, quam ex locatione, ego supra superque lib. 8, in Decalog. tract. 4, cap. 1, §. 8. Nunc ergo ea applicando ad locationem, breviter dico, pensionem debere solvi in eo loco, in quo conventum est, vel, si nulla facta est conventio, debere in eo loco, qui factus est de consuetudine in ea Regione, vel denique, si nihil est conventum, & nulla est ejusmodi consuetudo, debere solvi in eo loco, quem ipsa natura contractus locationis requirit, haec autem requirit, ut in eo loco solvas, ubi conduxisti.

CAPVT V.

Explicans illud descriptionis

Nulla addito injusto pacto.

1. Id vel indoctus quisque non ignorat. Verum aliquid pacta, quae dubia apparent, cognoscere, justane sint, an injusta, hoc enim verò perdifficile, etiam doctissimis est. Quod tamen facile spero, reddetur, si hic normalia ejusmodi pacta breviter examinemus.

Primum pactum, quo res conducta permittitur vendi.

2. Ego loco Caesari hanc domum pro justa pensione centum aureorum singulis annis, quod si mihi quando-
cumque traderet mille aureos, quanti scilicet iuste valet
domus, cessabit pensio, & Caesaris erit domus. Estne
iusta conventio?

Respondeo, esse justam, cum Asor. p. 1. l. 8. c. 1. i. *quasi. 6.*
& Filliuc. r. 36. c. 5. n. 81. quia, donec solvitur totum pre-
tium domus, est contractus Locationis, & domus est in
tuo dominio. Verum, pretio soluto, jam domus vendi-
tur, sitque alterius, idest, Caesaris: id, quod ita se habet,
sive aestimes ipso initio domum, sive non aestimes; mo-
do quando initio aestimas, aestimatio non facit Ven-
ditionem.

3. Explico hoc ultimum: Si aestimes domum, ut scia-
tur, quantum debeat Conductor, si eius culpa domus
perat, vel deterior fiat: pari modo, si aestimes, ut videat-
ur, quantum pretium debeat tradere Caesar, quando
domum emet, tunc aestimatio non facit venditionem.
At, si aestimet, ut domus transeat in dominium alterius,
quamvis pretium solvendum differatur ad annos, aesti-
matio facit venditionem. Ex hac ergo explicatione, res-
ponso allata manifesta est, nam tamen si Caesar ad suum
libitum possit, vel domum reddere, & illam non emere,
vel totum pretium solvere, & ibi, ut venditam appli-
care domum, injuste à te non agitur, dum pensionem in
totum exigis, quia, non soluto pretio, (quamvis facta
aestimatio, quae tamen non faciat venditionem) do-
mus est tua, & pensio tibi solvitur pro tua re, eo tamen
soluto, vel facta aestimatione, quae venditionem faciat,
jam tua non est amplius, sed est ementis, unde cessat tunc
pensio, necesse est.

4. Quid, si concedo Caesari, ut domum meam ab ipso
conductam possit, si velit, alius vendere?

Respondeo, nec est injustitia, si id recte fiat (quicquid
dicat Azor. & Filliucius citati) nam donec Caesar do-
mum alteri vendat, domus est tua, in tuoque dominio
persistit, unde tibi pensio merito, & iuste solvitur, sed
non post venditionem, ut dictum est.

Secundum pactum, quo omnia pericula consiciantur in Conductorem.

5. Loco tibi hoc praedium, hunc gregem, hunc
equum, modo omne periculum sive fortuitum, sive insoli-
tum, quandocumque illud sit, tu subeas: estne iusta con-
ventio?

Respondeo, esse justam, cum Asor. p. 3. l. 8. c. 1. i. *g. 7.*
si adint duae conditiones. Prima, ut haec non sit vendi-
tio, hoc est, illae res remaneant in dominio locantis, un-
de si res accidat non petere, debeant omnino eadem
reddi tibi locanti, non vero pretium ipsarum. Secunda,
ut dematur de pensione solvenda, quantum compen-
setur tantum onus. Ratio est, quia si adest prima conditio,
cum res non sint venditae, pensionem ex rebus suis habe-
re iuste Dominus poterit. Et rursus, si adest conditio se-
cunda, nulla erit injustitia, si quidem ex diminutione pen-
sionis jam inducitur aequalitas.

Tertium pactum, quo grex, vel quid simile reddatur in fine Conductionis in eodem numero, & bonitate.

6. Loco tibi hos ovium greges, hos boves, hos equos,
quorum usum fructumque percipias eo pacto, ut semper
debeas conservare eundem numerum, integrumque mihi
reddere finito tempore designato. Interim vero pensio-
nem rei locatae solvas, estne iusta conventio?

Respondeo, esse justam, modo serventur duae praedictae
conditiones, idque propter easdem rationes.

7. Objicies: In ove, quae forte interim morietur, primo
v. g. anno non potest continuari locatio ad secundum,
aliisque consequentes annos, cum ea nihil sit. Quod

Pars III.

si respondeatur, ovi demortuae aliam subrogari, ad ser-
vandam numerum, non fatetur objectioni; haec enim
subrogata non erit Locatoris, quo modo igitur accipiet
ex ea pretium iustae locationis?

8. Respondeo, negando hanc subrogationem non esse
Locatoris; statim enim atque moritur ovis, perit quidem
quoad illam locatio, quae non potest continuari in mor-
tua. Verum, statim, ac subrogatur alia, cum subrogetur
nomine Domini Locantis, cuius illa erit, & quae illam
incipiet nova physice locatio: Locator autem semper
remanet Dominus ejusdem, & quidem totius gregis, quia
ascitis novis subinde animalibus, moraliter remanet
idem grex, sicuti remanet idem fluvius, quamvis aqua
continuo varietur.

9. Quid si locentur, v. g. quatuor boves cum pacto,
ut non solum reddendi sint ejusdem numeri, verum etiam
ejusdem juventutis?

Respondeo, Videtur primo aspectu injustum pactum,
& sic censet Azor. l. c. 1. i. *g. 2.* Sed certe, cum hoc pactum
non sit, nisi praeter naturam contractus locationis, & lo-
cationem non destruens, quia non fit, ut supponitur,
venditio (cum dominium bovis remanet apud Locato-
rem) unde nec fiat contractus mutui, aut alterius gene-
ris, ex hac parte non erit conventio injusta. Si ergo ex alia
parte pro tanto onere (ut etiam supponimus) omnino
aliquid iudicio experti, de pensione subducatur, re vera
praedictum pactum industriam nequaquam continebit.

Quartum pactum, quo fiat contractus (à godere)

10. Ego trado tibi mille aureos, tu locas mihi domum
ea lege, ut tunc reddatur à nobis acceptum, quando al-
teruter velit: interim, nec tu dabis mihi ullum lucrum
ex illis aureis, nec ego tibi pensionem solvam ex illa do-
mo, estne iusta conventio, quae vocatur in Italia contra-
ctus à godere?

Respondeo: Si ego tibi tradam rem fructiferam, do-
mum, v. g. locabilem, tu vero mihi praedium aequalium
fructuum, fore justum pactum, non est mihi dubium: At
si tu des pecuniam, quae non est ex se fructifera, est illi-
citurum pactum, nisi ex damno tibi emergente justificetur,
ut à me dictum est satis, l. 8. in Dec. tract. 3. c. 7. §. 6. n. 16.

Quintum pactum, quo locentur cum praedio necessaria ad illud colendum?

11. In nostris Regionibus solet locari praedium cum
omnibus bobus illi necessariis, item cum toto apparatu
necessario ad messem, vel vindemiam, aratris, ferramentis,
doliis, torculari, &c. quae prius aestimata, sed non vendita,
debeant locatione finita, reddi Locatori, ejusdem aestima-
tionis, estne conventio iusta?

Respondeo: Est sane, dummodo serventur duae illae
conditiones, quas diximus n. 3. unde & iustitiae probatio-
nem petere facile potes.

Sextum pactum, quo tum Conductor, tum Locator participes de periculo rei conductae.

12. Loco tibi bovem aestimatum, v. g. viginti aureos
pro tribus aureis in anno, iusta pensione, omnibus ab
experto viro compensatis. Loco autem hoc pacto, ut, si
post annum minuatur aestimatio bovis, vel is pereat sive
casu, sive culpa tua, tu Conductor dimidium jacturae
amittas, & dimidium ego Locator. Estne iusta haec con-
ventio, quae in aliquibus Italiae locis usurpata solet?

13. Respondeo: Injustam esse, ait Comitulus: sed
ejus pace, nec injusta est, nec ut aliqui perperam dicunt,
usuraria. Non usuraria, quia hic nullum intercedit mu-
tuum, cum bos non vendatur, & pretium mutuetur, sed
bovis dominium remaneat apud te Locatorem, & solum
ego Conductor per alium contractum assicurationis
suscipio, ex parte, periculum, si forte bos moriatur
vel pereat. Non injusta, quia supponere debemas juxta
C c 3 experti

Succesor particularis ex Donatione, Legato, &c.

4. Regula secunda habet duas partes. Prima est: Succesor particularis ex donatione, legato, vel simili contractu gratuito, siue succedat in proprietate, siue solum in usufructu talis rei particularis, non tenetur stare locationi prædecessoris, seu donatoris, & consequenter, nec conductor tenetur stare ejusmodi conditioni.

5. Secunda pars regulæ est: Si tamen conductor velit stare, & non permittatur, potest ipse conductor agere ad interesse contra eum, qui ipsi rem locavit, vel contra ejus hæredes. Ita iidem Doctores, & passim. Ratio prioris partis regulæ est, quia succesor particularis non succedit in omnibus juribus, vel debitis prædecessoris, seu donationis, sed in illo tantummodo bono peculiari, quod sibi datur, ergo non obligatur ad servanda jura, vel debita, quæ fuerunt contracta inter locatorem, & conductorem, quæ cum fuerint personalia, non sunt translata in ejusmodi particularem successorem, qui nec legantis, nec donantis personam representat. Ratio posterioris partis regulæ est, quia tunc per translationem rei conductæ in alium, locator, vel ejus hæredes sunt conductori causa illius interesse. Unde merito sic deciditur in Jure, l. *Empior, C. de locator. l. Si merces, §. Qui fundum: ff. locati, l. Nihil, §. ult. ff. de legatis primo.*

6. Quoad primam partem regulæ, excipe primò, nisi signatè initio locationis deductum esset in pactum, ut pro tempore locationis res locata remaneret particulariter ipsi conductori subjecta, seu hypothecata ad securitatem suæ conductionis: nam tunc invalida fuisset, seu certè invalidanda alienatio subsequens, facta à locatore, cum fuerit contra Jus particulare conductionis ipsi ortum ex vi talis pacti. Dicitur autem est (nisi signatè, &c.) nam si res locata solum generaliter hypothecata fuisset in hunc ferè modum: Omnia mea bona sint tibi conductori subjecta ad securitatem tuæ conductionis, tunc valida sine dubio fuisset subsequens alienatio, sed conductor, juxta secundam partem regulæ, haberet Jus se defendendi contra Locatorem, seu Locatoris hæredes, volentes eum expellere, ut fuit Molina, d. 490, qui deinde n. 9. profertur, quid dicendum sit in re locata à Fisco, & paulò post, in quibusnam idem Fiscus succedere soleat.

Excipe secundò, id, quod mox excipiam §. 3. n. 2. cum de Ementè.

Succesor sui Administratoris.

7. Regula tertia: Quando aliquis alteri prædecessori siue defuncto, siue viventi succedit, etiam in re particulari, qui prædecessor administrationem rerum illius, qui succedit legitime habebat, & quique prædecessor rem illam locaverat, debet ejusmodi succesor stare locationi factæ. Ita Moll. Rebell. Mantica, Gomez apud Bonac. loc. cit. n. 7. Ratio regulæ est, quia quilibet obligatur rata habere ea, quæ facta sunt à suo legitimo Administratore, seu suo Procuratore, quamvis deinde hic moriatur, vel à munere amoveatur. Cum ergo hic Locator, de quo agimus in hac regula, fuerit legitimus Administrator, unde legitime locaverit, debet ejus succesor eam locationem ratam habere.

8. Hinc Pupillus debet stare locationi factæ à Tutore, vel Curatore. Hinc ex meliori sententia, quam sequitur cum aliis Molina d. 492. Uxor mortuo Marito, debet stare locationi non solum bonorum dotalium, sed etiam paraphernalium factæ ab eodem Marito, quia Maritus non solum est usufructuarius rerum dotalium, sed etiam est legitimus Administrator earundem rerum dotalium, & etiam, saltem, quando uxor non prohibuit, paraphernalium. At verò Maritus tunc solum obligatur stare locationi antea à dotante factæ, v.g. domus datæ

ipsi in dotem, quando Maritus eam rem in dotem accipiens, sciebat, esse locatam, quia sic tacite visus est locationi consentire; secus, teste Mol. *ibid.* n. 4. si nesciebat, quia tunc, cum sit succesor particularis in dominio utili, recurret secunda regula jam n. 4. allata.

9. Hinc denique Prælati, Abbas, Beneficiarius debet stare locationi factæ à suis prædecessoribus de bonis pertinentibus ad Ecclesiam, quia horum illi prædecessores fuerunt legitimi Administratores, & hi posteriores succedunt in his bonis Ecclesiæ, quasi eandem Ecclesiam representantes, ut representabant prædecessores.

10. Dixi (de bonis pertinentibus ad Ecclesiam) nam de bonis, quamvis Ecclesiasticis, sed pertinentibus ad suam dignitatem, vel Beneficium, cujus fructus sui sunt, cum ea dictæ personæ administrant, ut res suas, quoad fructus, valide quidem locant pro tempore suæ vitæ, sed non pro tempore post suam mortem, unde tunc succesor stare locationi non obligatur. Et nota, in his bonis pertinentibus ad eorum dignitatem, vel Beneficium, succedores succedere, tanquam in Majoratu, quibus prædecessor præjudicare non potest, unde, si hic prædecessor exegit pensionem pro tempore post mortem suam, potest succesor eam nihilominus exigere, *Lege Bonacinam disputat. 3. de contract. quest. 7. part. ult. num. 10. fine.*

11. Atque in hoc toto casu hujus n. 10. Sicuti Locator succesor potest recedere à Locatione, præter casum, quem mox §. 3. n. 2. & 3. dicam, cum de Ementè, sic conductor potest conductionem relinquere. Denique memineris, hæc omnia dicta semper esse, præscindendo ab aliqua legitima consuetudine fortè alicubi introducta, vel justo pacto, &c.

§. III. *Succesor particularis ex Emptione.*

1. **E**Mens rem ab aliquo, est ejus succesor particularis. Emens ergo rem locatam, eadem prædicta secunda regula, dictas habente partes, utatur, quam modò §. 2. n. 4. attulimus.

2. Unum tantum casum excipis, in quo is, qui emit, saltem ex æquitate, stare debet contractui, nec expellere potest Conductorem. Nam colonus, v. g. si, postquam agrum conduxit, illum seminavit, non debet ejusmodi colonus expelli ab emente memoratum agrum, donec messis colligatur. Ita Sylvest. Tabiena, aliique apud Bonac. loco citato num. 6. quia secus intemptivè expelleretur, cum æquum non sit, colonum fructuum jacturam perdere.

3. Idem cum Quaranta, & Ricc. cum eodem Bonac. *ibidem* num. 10. dic de Prælato successore bonorum Ecclesiasticorum particularium Prædecessoris; nam, si res non est integra, & Conductor operas adhibuit in agro Beneficarii colendo, dictus succesor non potest Conductorem expellere, donec annus, vel fructuum collectio finiatur, ne scilicet intemptivè cum alterius damno abscindatur locatio.

4. Ex quibus colligo, idem debere dici de omnibus similibus, vel dissimilibus successoribus, quia æquitas non patitur, ut Conductor aliquo damno, dum bona fide in operas processit, afficiatur.

CAPVT VII.

Explicans illud descriptionis,

Personam aliquam, vel seipsum.

1. **H**Æc pars descriptionis notat, posse quempiam, vel seipsum, vel aliam personam, in quam quis Ius habet, v. g. suum servum, locare alteri, quod est operam famulatus alteri promittere, siue universaliter in omnibus, ut sunt famuli, qui sub pretio se exhibent ad ser-

viendum in quacunque re Domino, sive in aliquo peculiari opere, ut sunt artifices, coloni, scientiarum magistri, &c. De his ergo sub communi nomine famulatus nonnulla perstringam, nec solum ea, quae strictè pertinent ad contractum locationis, de quo loquimur, sed etiam (quandoquidem adest hæc occasio) ad alia universaliter, quæ spectant ad famulos, & consequenter ad Dominos.

2. Vt autem ordinatim procedam. Primò, agam de famulis, qui iuxta promissum, seruiunt, seu seruiunt. Secundò, de his qui promissionem violantes, non seruiunt, cum possint. Tertio, de his, qui non seruiunt, cum non possint.

§. I. De Famulis, qui seruiunt, seu seruiunt.

1. **I**is, qui debitum obsequium exhibent, vel exhibuerunt, deberi iustum stipendium, quis ignorat? Sed quærenda sunt adhuc duo. Primò, quodnam est debitum obsequium? Secundò, quodnam est iustum stipendium.

Quodnam est debitum obsequium?

2. Illud est, quod moraliter, & communiter in illo genere ab aliis exhiberi solet. Et quia illud habet latitudinem, iuxta quam diligens, diligentior, diligentissimus famulus seruire potest, satis erit, in gradu infimo, id est, ut famulus exhibeat diligentiam, nec necessariò maximam, nec illam, quæ vergat ad desidiam, idque præciso pacto maioris diligentia: pro qua daretur maius stipendium, ut ex se patet.

3. Hinc fit primò, ut si famulus prædictam diligentiam, saltem in infimo dicto gradu, non seruet, ex quo sequatur damnum aliquod Domini, fit, inquam, ut obligetur ad restitutionem damnorum, immò, propter paritatem rationis, etiam lucrorum, Domino inde cessantium. Verùm, hæc maximè est notanda monitio alia, lib. 8. in Decalog. tract. 3. c. 5. §. 1. num. 5. & lib. 1. cap. 3. §. 7. v. Deposum, & iterum dicam infra, lib. 9. tract. 7. de Societ. cap. 8. n. 15. sæpè tradita, nimirum negligentiam, quæ in uno genere famulatus, v. g. in transferendis lignis, est levis, gravem esse in transferendis vasis vitreis. Locum omninò recole.

4. Fit secundò, ut si, posita prædicta diligentia, famulus alias operas exerceat, lucreturque, possit hoc lucrum sibi acquiritere, & retinere, quia quando sese addixit Domino, eiusmodi à se potestatem non abdicavit.

Quodnam est stipendium iustum?

5. Iustum item stipendium habet summum, medium, & infimum gradum, estque illud, quo communiter in foro solent operæ, famulique talis ministerij conduci, & satisfacere Dominus, si (præscindendo ab aliquo iusto pacto) det infimum, ut notat Bonacin. loc. cit. p. 4. num. 3. sicuti, nec iniuste aget amicus, si petat summum: si petat, inquam, nam si tacet, videtur infimo contentus esse, atque aded non potest, prætextu supremi debiti, compensare sibi usque ad summum.

6. Hæc ita in genere dicta rem exactè nequaquam definiunt; adhuc enim restat scrupulus, æquòdnam sit eiusmodi iustum, licet infimum stipendium, præsertim, quia nesciri vix potest in tanta varietate operarum, & ministeriorum, quodnam stipendium in foro, & communiter currat. Id ergo & prudens, & expertus vir facillè expiscabitur, si quatuor expendat capita, quæ iam subdo.

7. Primò: Expendat, famulos inter alium condonare defectum mercedis Domino ob quatuor potissimùm subinde rationes, nempe primò, quia ab ipsis Dominus sperant favorem, & gratiam, immò etiam munera in Republica, & Beneficia; hæc enim sola spes est pretio æstimabilis, tanet deinde nihil reipsa acquiratur.

Secundò, quia obsequium est admodum exiguum, unde remanet ipsis locus, sive otium, sive alio modo lucrandi.

Tertio, quia; dum seruiunt, aliquam artem addiscunt, ut sunt seruientes artificibus, Prof. floribus Medicinæ, Musica, & similibus, quin aliquando ob id alimenta victus, & non raro ne ob victum quidem, sustinentur.

Quartò denique, quia compensatur satis, superque merces ab honore officij. Sic aliqui officiales in Curatibus, quos Iuratos Siculi appellamus, modicissimo stipendio fraudantur, licet maximis Reipublicæ occupationibus distendantur, eo scilicet honore contenti, quo ad discendo, sæpissimè multum se expendunt, etiam gloriantur.

8. Secundo, expendat vir prudens numerum famularum voluntium, qui frequentissimus hodie solet esse, etiam enim famulorum copia valde diminuit de ipsorum mercede, quæ tunc ultra se offerunt pro quocunque pacto, ut roneas autem merces vilescere usque ad tertiam partem, immò aliquando etiam usque ad dimidiam, dicitur à nonnullis diximus alibi, lib. 8. in Decal. cap. 7. §. 4. n. 6. & certe tunc vilius esse debere stipendium, magnum non est: sicuti in cæteris rebus venalibus, quando hæc dant, usum venis, solet.

9. Tertio, expendat etiam necessitate ipsorum famulorum, nam licet mera necessitas serui non debet minuire pretium sui laboris, neque enim, si ego habeo necessitatem vendendi frumentum, præcisè ex hoc tu iustius infimum pretium potes emere, nisi aliunde dictum pretium vilescat: tamen, quia, quando hac necessitate laborant multi serui, non inveniuntur Domini, qui magis pretium præbere velint, inde fit, ut stipendium, tunc communiter currens in foro, sit minus, & consequenter hoc, quamvis vilius, sit iustum.

10. Quartò, est etiam pendenda, ad iustitiam stipendij cognoscendam, ipsa liberalitas domini, qui non raro ad suæ familiaris decus pertinere putat, si (ut magis Principes consueverunt) plus suis famulis impendat, quam eorum famulatus mereatur.

Atque ex hoc ultimo solvitur illa questio: An divites dominus det suo honorario famulo victum pro ipso, & hordeum, v. g. pro equo, vel aliam victus portionem, quæ is honorarius famulus alium pro se famulum habeat, ipse verò, nec equum, nec alium alar, possit sibi illud hordeum, & portionem illam reservare? Possit enim, non solum, quia ea non videntur dari, ut ille habeat equum, & famulum, sed, ut possit habere, & coram def. ctus non redundat in damnum, seu dedecus Domini, sed solum ipsius honorarij famuli: quæ sunt rationes Magistrorum Salmanticensium approbantium hanc doctrinam apud Delugo, d. 16. de Iust. n. 82. verumetiam, quæ ejusmodi Principes, ac divites Domini non ad iustum stipendium, ut modò dixi, sed ad liberalem beneficentiam ea mensurant, quæ donant.

11. Quando non stat per famulum, ut seruiat sed per Dominum, qui nolit uti eius opera, an habere debeat æquale stipendium, ac si seruiet, dixi satis supra, cap. 4. §. 1. num. 5.

Famulorum expulso.

12. Huc reducamus illam questionem: An sit aliqua causa, ex qua iuste possit Dominus, ante finitum conventionis tempus, citare servum famulatum voluntem.

Respondeo: Præcisè nonnullis legibus, quæ forte alicubi vigent, de quibus Molina, d. 505. c. 5. ob. potest dimitti prædictus servus ex causa gravi superveniente, quæ in initio prævisa non fuit, ut ibidem docet Molina.

13. At, quænam est causa nova? Respondeo, non solum esse gravissimam, ut si Dominus

vite infidiaretur famulus, si fararetur bona Domini, si damnus eidem afferret, &c. Verumetiam, si famulatum notabiliter negligeret, ita ut adhiberet notabiliter minorem infra infimum gradum ordinariæ diligentie; quem in simili ministerio solent alii famuli communiter adhibere.

Ratio est, quia jure naturæ, & præcisè legibus positivis, vel peculiari pacto, talis videtur esse intentio contrahentium, ut sicuti Dominus dat bonum stipendium, ita bonum obsequium famulus præstare debeat, quod certe illud est, quod saltem infimum diligentie gradum attingit, modo, quo paulò antè n. 2. & 3. explicatum est. Ni ergo illum famulus attingat, meritis Dominus stare contractui, non obligabitur.

Famulorum recessus.

14. Huc etiam reducamus quæstionem præcedenti affinem: An scilicet famuli, quando tempus serviendi non est ex pacto determinatè definitum, possint, quandoque velint, à famulatu recedere?

Respondeo, posse absolute, sed maxime tunc attendendum esse ad consuetudinem Regionis, qua famulus soleat, vel non soleat ad libitum à contractu recedere. Perpendendum etiam erit genus famulatus, nam aliquando ipsa res, in qua obsequium versari debet, tendit, ut ad annum, ad menses, ad dies, an etiam ad horas dumtaxat extendatur. Quibus consideratis, recedendi facultas, sive denegetur, sive concedatur à viro prudenti.

Compensatio famulorum.

15. An famulus, si justam mercedem illi denegat Dominus, possit, si alia via suam habendi non appareat, occultè sibi compensare?

Respondeo, posse, sicuti in similibus certum est. Verum, valde cavendus ille scopulus, quo famulus immeritò putet, mercedem justam non habuisse.

16. Solet autem hic maxime quæri (& molestissimam esse difficultatem Conf. Sarris, in hac decidenda, faretur Rebell, 2. part. lib. 14. quæst. 15. num. 9.) an, quando famulus pro sua necessitate promittit operam Domino pro stipendio minori, quàm infimo, an, inquam, possit occultè sibi compensare, quod deest, usque ad justum infimum pretium: nam usque ad medium, vel summum jam diximus, non posse.

17. In hac difficultate ob duo capita regulariter non posse, judico, præter caput dictum à condonatione, quæ aliquando præsumitur, fieri à famulo, ut dictum est modò n. 7.

18. Nam primò: Si eam necessitatem habet famulus famulandi huic Domino pro vili pretio, ideo est, quia non invenit alium Dominum pro majori pretio; ad illum enim confugeret, si facile esset illum invenire: si ergo non est facile, sequitur, vile pretium esse commune in foro; atque adeo justum: ergo excedi non poterit à servo. Id vidit Delugo disp. 16. de Inst. num. 80. qui sic habet: *Quare raro credendum in hac parte famulis obtendentibus defectum justis stipendii: Cur enim alium Dominum non quarunt cum majori stipendio, vel non quaeserunt, si invenire facile poterant? Si autem non poterant, non ergo fuit injustum pretium, quo majus communiter non poterant invenire.*

19. Secundo, quia dum servus dicit, se vili mercede servite, decipit Dominum, qui regulariter in tanta multitudine servorum, qui hodie serviendum victum quaerunt, alium, eadem, immò interdum minore mercede, invenit; ergo servus, cum sit causa talis damni Domino, resarcire debet: resarcire autem, non petendo stipendium illud majus, quod aliàs, si Dominum non decepsisset, habere justè potuisset.

20. In hoc secundo capite habeo contrarium prædictum Delugo: sed fusè, & ad evidentiam, ut mihi videtur, ejus rationes ego dissolvi per aliam occasionem,

in opusculo de Sacrificio Missæ, lib. 3. cap. 1. §. 3. quando de hac executione famulorum plurius dissero.

Dixi autem n. 19. (regulariter) quasi servus, qui necessitate compulsus, se ob vitem mercedem locavit, vere invenisset majorem, non decepsisset eam effectu Dominum, quia is nunquam invenisset servientem viliori pretio, atque adeo possit servus sibi compensare ex probabili sententia, quam ibidem explicimus.

21. Hæc etiam pertinet, quando servus, vel amicus exhibet aliqua obsequia, ad quæ non tenebatur; quaeritur enim, an hic possit compensationem ex bonis Domini, vel amici facere? Et quidem, si gratis fecit, certum est, non posse; Lege Navar. L. ff. Valquez citatos à Bonacin. disp. 3. de contro. quæst. 7. num. 4. nec enim semel donata potest quis, mutata voluntate, sine consensu ejus, qui recepit, sibi resumere. At si invitus, posse (si nihil aliud addatur) dicendum est. Idem ibid. quia labori debet æqualis merces solvi, & nemo facile præsumitur condonare; cum condonatio sit donatio, quæ non præsumitur, nisi exprimat.

22. Dixi tamen (si nihil aliud addatur) nam maxime cavendum est, ne Dominus, vel amicus rationabiliter putet, gratis à te ea obsequia præstari, & sic tua culpa deceptus, cum potuisset illa habere gratis ab alio, ipse ad nihil juxta dicta à num. 17. teneatur, & tu contra justitiam compensationem atrentes.

Famulorum stipendium, quando committitur arbitrio Domini.

23. Inquires tertio: Si quis serviet, remittendo se sui Domini arbitrio, quantum esse debebit justum stipendium, quod Dominus obligaretur solvere?

Respondeo, cum Bonacin. loco cit. num. 10. esse, illud, quod communiter aliis solvi consuevit, consideratis tamen iis omnibus, quæ modò à num. 6. ut justum stipendium taxetur, consideravimus; in hoc enim sæpe falluntur famuli, qui remittunt se arbitrio Domini, & deinde mensurant absolute famulatum, non verò ex illis capitibus, puta sive ex condonatione, sive ex eo; quod in propria necessitate justum stipendium est satis vile, sive ex eo, quod d. capiunt Dominum, sive ex spe, quam à Domino concipiunt, &c.

Stipendii famulatus Prescriptio.

24. Inquires quarto: Si, per annos aliquot, famulus non petat stipendium sui famulatus, potestne Dominus illud præscribere, ita, ut non obligetur amplius solvere?

25. Respondeo, ex jure communi posse: Si enim servus, cum possit petere, non petat suum creditum, & Dominus, quia non est requisitus à servo, bona fide, debitum non solvit per triginta annos, jam vi præscriptionis, non obligatur amplius prædictus Dominus.

26. Dixi per triginta annos, quia hæc est communis doctrina de præscriptione debitorum, ut videtur potest breviter apud Delugo disp. 7. de Inst. n. 80.

27. Dixi rursus (de jure communi) nam in aliquibus regnis triennium sufficere ex jure particulari, non ignoro. Consulat ergo quisque Regionis suæ municipalia, jura, & quidem de jure Hispanico, quoad hanc præscriptionem stipendii servorum, vide fusè Thom. Hurtad. tract. 8. moral. cap. 2. à n. 245.

Solutio stipendii non requisita.

28. Petrus Dominus probè novit, Paulum olim suum servum, anno, v. g. superiore, sibi interfuisse fideliter, non tamen habuisse stipendium, & nunc, quando non est amplius ejus servus, videt, illum non petere, Inquires, an obligetur ipse Dominus non requisitus illud ei dare?

29. Respondeo, hanc quæstionem dissolvit idem Th. Hurtad. l. c. n. 248. dicens, Dominum non teneri stipendium

dium offerre, nec de ferre famulo extra domum suam exi-
stenti, & non petenti (tam intra, semper tacite petit,
sem expectat.) Ratio est (inquit) quia dum servus sciens
sibi debere mercedem non petit (addo tamen tanquam
omnino necessarium, cum possit, nec ob timorem Do-
mini, vel quid simile tetrahat?) Dominus merito cogi-
tabit, servum velle dictum stipendium donare, seu re-
laxare; id quod Hurtadus confirmat ex aliis Doctoribus,
qui, & in gabellis, & in legatis, idem dicunt, ut scilicet,
quando à Gabellariis, & à Legatariis scientibus sua cre-
dita, & petere valentibus, non petuntur, non sit obli-
gatio illa offerendi.

Auctis servitiis, augendum pretium famuli.

30. Si famulus tuæ familiæ obsequio se obligavit pre-
tio certo, sed deinde augetur familiæ numerus, debetne
augeri pretium. Idem quæri potest de quocunque incre-
mento laborum in serviendo?

Respondeo, cum necessaria distinctione: Si parum
augetur de labore, non esse pretium augendum, si mul-
tùm labor augatur, etiam proportionaliter augendam
mercedem. Ratio est, quia pro parvo augmento involvitur
consensus implicitus, pro valde magno, non item.
Idem dic in Medico, si se obligavit ad inserviendum Mo-
nasterio, Seminario, Familiæ, &c. quando pari modo au-
gentur personæ inserviendæ, ut notat Conradus, *de contr.*
9. 88. Azor. 3. p. 1. 8. c. 14. q. 1. & 2. Notentur tamen dicta
num. 21.

31. Quòd si in pretio statuendo, habita est ratio sin-
gularum, ut quando conventum fuit dari, pro inservien-
do singulis, tantum pretii, certè, si crescat numerus per-
sonarum, debere & crescere pretium sic taxatum, dubium
esse non potest.

32. Quid, si quis se conduxit certo pretio ad ædificium,
v. g. faciendum, & deinde apparer, notabilem auctum
fuisse laborem, immò & auctas expensas, quas sibi faber
allumpit faciendas?

Respondet Bonac. 3. *de contr.* q. 7. p. 4. n. 18. debere au-
geri & stipendium. Verùm, non semper id admittam in
praxi, quia solet, in his conventionibus sine fraude iniri,
admitteri periculum æquale ex utraque parte contrahe-
ntium; nam aliquando ædificium, vel simile quippiam
absoluitur paucioribus, aliquando pluribus expensis ergo
est æquale periculum pro utraque parte. Profectò idem
Bonac. ib. docet, non debere augeri stipendium illi, qui se
obligavit, ad transferendas cum navigio merces alterius,
putans se aliquis diebus posse iter absolvere, sed pos-
tea ventorum adversantium causa, multò pluribus absol-
vit; id, inquam, docet, quia poterat etiam ventorum fa-
vore multò paucioribus. At simile quid etiam evenire
poterit in casibus aliis.

33. Si Mercator promisit pretium Gubernatori navis,
ut merces, verbi gratiâ, ad Indos, vel ad alium locum
transferebat, sed medio confecto itinere, ob reluctan-
tes ventos reversa est navis in portum, unde discesse-
rat, quale pretium esse debet & conveniunt, an aliud
minus?

Respondeo, de hoc peculiari casu pluribus disputant
Molina, d. 502. Bonacin. *loc. cit.* num. 20. Delugo d. 29.
de Just. num. 74. aliique, quos adi; nos enim monent
famuli à promisso famulatu deficientes, ut ipsos non de-
feramus.

*Stipendium datum Famulo in damnum Credito-
rum Domini.*

34. Denique, si Dominus famulo stipendium solvens
fiat impotens ad solvenda ea, quæ sic Dominus debet
suis creditoribus, potestne licitè illud acceptare famulus.
Immo, si hanc impotentiam prævideat idem famulus,
potestne illius obsequiis se addicere?

35. Respondeo Bonac. d. 1. *de restit. g. ult. p. 1. 2. n. 30.*
breviter sic docet: Famuli inservientes alicui domino,

quem sciunt fieri impotentem ad restituendum credito-
ribus, non possunt aliquid ab eo accipere, aut acceptum
retinere, nisi fortè tantummodo domino acquiescenti
serviendo: Propterea consulendum est hominibus obsequi-
lis, ut discedant. Ita Valentia, Aragonius, Navar. Mo-
lina, aliique. Horum sententiam limitatam cum Valenz.
modo dominus illius, non inique agit, ita ut sine illius
non possit absque magno dedecore, juxta qualitates de
conditionem personæ. Nam si hoc modo illis discedat,
existimo, eos posse sui famulatus stipendium accipere,
sicut enim dominus exculatur ob suum tantum inco-
modum, ita famulus. Hinc ita patet à fortiori, Medicum,
Pharmacopolam, & alios præbentes necessitati liti-
mo, qui non est creditoribus solvendo, posse ob pro-
dictam rationem pretium accipere. Ita Valquez. *lib.*
Bonacin.

36. Quibus ego aliam limitationem addeam, in
declarationem: Nam, ut famulo non liceat stipendium
à domino accipere, vel illius obsequio se addicere,
debet ei constare, dominum impotentem sic rectè ad
satisfaciendum suis creditoribus; constare, inquam, sol-
tem certitudine morali; non enim præsumendum est,
delictum committi, (quale certè à Domino, se volente
inhabilem reddere, committeretur) nisi de eo constet.
Cum ergo famulus nesciat plerumque, nec scire possit
potentiam, vel impotentiam Domini, facile exculatur po-
terit à peccato, &c.

§. II. Famuli, qui non serviunt, cum possint.

1. PRO tempore, quo Famulus, cum possit, non ser-
vit, jam sciens non debere ipsam accipere merce-
dem, eandemque ei negari merito posse à Domino. Sed
quid pro tempore, quo servivit? Potestne aliquando
negari merces eo prætextu, quod nunc ipse non præ-
statur famulatum promissum?

2. Respondeo, non posse absolute negari, quicquid
dicat cum Sylvestro Azor. 2. p. 1. 8. c. 39. q. 6. potius posse
aliquid arbitrio boni viri detrahi. Ratio nostræ doctrinæ
est, quia operarius dignus est conventa mercede
pro tempore, quo operatur. Si ergo aliquando opera-
tus est, sua mercede pro illo tempore defraudandus non
erit.

3. Dixi, *Absolute*, nam si ob recessum famuli, meritis
servit, aliquod lucrum Domino cesserit, vel dementi
emergat, potest dominus tantum de mercede præstati
famulatus retinere, quantum ea damna compensaverit,
tunc enim famulus injusta causa est jactura Domini.

4. Hinc Rusticus, qui se locavit pro toto autumno
acta autem hyeme, recedit, invito Domino, à famulatu,
ut æstivo tempore alibi, majore stipendio, serviat, quan-
do ceteros sunt rusticantes famuli, obligatur in con-
scientia, restituere Domino, quantum ipsius intercessit,
nondum soluta, poterit sibi retinere.

5. Præterea servus in casu, de quo loquimur, obligatur
redire ad Dominum, ut toto promisso tempore ser-
vuletur, quia ex contractu, & aliquando ex addito jura-
mento, se obligavit illud complere. Neque liberare se ab
hoc reditu potest, etiamsi omnia damna restituerit, vel
quia dominus habet Ius ad personalem illam obligatio-
nem factam à servo.

6. Quid de Domino, semel recedente culpa sua famu-
lo, obligabiturne is cum iterum recipere?

Respondeo, saltem non obligari videtur. Ita Delugo
d. 29. *de Just.* num. 36. quando recessus ipse tanta culpa
æstimatur, ut, propter æqualem, potuisset dominus illum
expellere.

*§. III. Famuli, qui non serviunt, cum non possint. Tr. IV.
de Famulo agrotante.*

1. SERVUS, durante tempore statuto ad obsequium,
sconjicitur in Carcerem ob aliquod delictum, quod

TRACTATUS V.

D E

EMPTIONE, ET VENDITIONE:
Remissivè.

DE hoc argumento latè, & pluribus egi lib. 8. i. Decal. tract. 3. c. 7. per totum, quare ibi dicta non sunt à me repetenda, nisi forte Typographus velit totam illam tractationem hinc ad Lectoris commodum transcribere, quod certè non recusarem.

An vino vendendo misceri aliquando possit aqua.

Ne autem inutile sit hujus Tractatus meminisse libet sequentem difficultatem pertinentem ad Venditionis, Emptionisque argumentum, diligenter excutere.

§. Unicus. *An vinum aqua dilutum possit aliquando vendi pretio vini puri?*

Dixi l. 8. Dec. tr. 3. c. 7. §. 5. n. 4. in hanc sententiam: *An immisceri aliquid possit rei extraordinarie bonitatis, & constat sic redditum aequale ceteris; taxato pretio, vendere, ut frumentum electum mixtum horæo, vinum generosum mixtum aqua?*
Respondeo, Concederem id aliquando frumento, vix unquam vino.

2. Hæc ibi dixi, nunc verò, re diligenter expensa, scio: *Concederem id aliquando frumento; nunquam vino.* Ita communiter de vino, Doctores, ut Petrus de Ledesma, Rebell. Salas. Med. Molin. Navar. Rodriq. Azor. quos citat Diana p. 1. tr. 8. ref. 51. Rationes multæ ad id aliterendum, me urgent.

3. Primò, Ideo pro vino puro vendere posses, ut ais, vinum aqua dilutum, taxato, vel communi pretio, quia per aquam illud reddis æquale vino, quod in eodem foro venditur, tuum enim vinum valde generosum facis, ex aqua, simile communi vino debili. At omnino falsum est, vinum sic reddi æquale, vel simile vino communi: Ergo caput non habes, unde æquali pretio vendere possis.

Minor adeo vera est, ut potius explicatione indigeat, quam probatione: Vinum tuum est constat ex vino, & aqua: Vinum fori est vinum solum. Ergo tuum non est redditum huic æquale, vel simile. Licet enim ignorant mistionem, æquale, vel simile appareat, verè tamen hujusmodi non est; sicuti manus Jacob, quæ apparebant manus Esau, verè tamen manus Esau non erant. Quemadmodum ergo, nisi ibi latuisset Mysterium, verè Jacob parentem decipisset, ita tu decipis ementem.

4. Atque hinc emergit secunda ratio ducta ex involuntario: Si Emptor adverteret, in vino adesse aquam, communiter nollet illud sic emere, Emens enim vinum, substantiam vini petit, non substantiam aliam. Ergo involuntariè tuum vinum emit, ergo tu iniquè vendis. Dico (communiter.) Nam esto, aliqui de hac mistione nil fortè laborent, certè in tanta copia ementium semper non pauci nollet sic emere. Saltem igitur hos, qui involuntarii sunt, decipis.

5. Tertio, etiam concedatur (quod tamen minimè concedi, dicam mox num. 13.) te non obligari ad restitutionem, si quando das tuum vinum, quod mistum illa aqua verè tanti pretii æstimetur, quanti tu vendis. At quis te liberabit à peccato, quo per dolum, & fraudem ementem inducis ad emendum? Si ego te fraude, vel vi, vel metu compellam ad emendum meum, v. g. equum, iusto, immò modico pretio, quo valet, nonne sum tibi

ea intentione paratum, ut non serviat (vel, ob mortem sui parentis, adstringatur ad curam suarum rerum, vel in motum incidit, quo affectus servire non potest, vel in aliqua familia impedimenta incurret, quæ impossibile illi, sive physicè, sive moraliter reddunt, posse proficui famularum: Servus, inquam, ejusmodi sine dubio potest famularum relinquere, & dominus obligatur consentire, solvendo tamen ratam mercedis debitam factis obsequiis, quia contractus, initio initus, semper censetur factus sub conditione, quod aliquid grave non obstat. Sicut enim dominus, si conjiceretur, v. g. in carcerem, unde non indigeret servis, posset illos dimittere, ita & servus, &c.

2. **Q**uestiuncula autem tres hinc solent de ægroto famulo adnecti. Prima, an sit curandus expensis domini.

3. Secunda: An idem debeat accipere mercedem pro eodem tempore, quo propter infirmitatem (idem propter aliud rationabile impedimentum) non famulatur.

4. Tertia: An servus locatus, v. g. in annum, si ægroter, seu legitime impediatur per mensem, v. g. obligetur, post annum supplere hunc mensem in serviendo, & an dominus, pro hoc mense supra dictam annum, admittere illum debeat, soluta debita ipsius mensis mercede. Loquimur autem in his semper, præciso pacto, sive implicito, sive explicito, ad quod dominus, vel famulus se obligasset.

5. Respondeo ad primam, negativè; Ita multi apud Dianam part. 1. tr. de contr. ref. 86. Bonac. d. 3. de contr. q. 7. p. 4. n. 13. quia ad illas expensas ex vi conditionis non se obligavit dominus: immò nec se obligavit ad alimenta pro illo tempore; quo sibi infructuosus futurus esset servus. Quidquid affirmet de his alimentis Azor. 3. p. c. 14. 3. Excipi debere extremam necessitatem, quando ex Charitate debet quilibet cuilibet succurrere, admonitione opus non est.

6. Respondeo ad secundam, item negativè. Ita multi apud dianam l. c. Ratio est, quia, cessante sine famulatus, non apparet, cur non debeat cessare, & obligatio solvendi illius mercedem. Scio, apud eandem l. c. aliquos esse contrarios huic nostri, & quidem communi sententia, sed non sunt audiendi, quia argumentum ipsorum ductum ex Textu, l. 1. §. Divus Severus ff. de variis, & extraordin. condit. in quo Imperator concedit advocatis defunctis mercedem, etiam si non servierint, facillè solvitur; loquitur enim Imperator de Advocatis mortuis quidem, sed pro tempore, quo vivebant, & quo per ipsos, dum vivebant, non fecit, quin servierint. Advocatorum enim, ut Procuratorum, Medicorum, Barbitonsorum, & similibus ejus naturæ officia sunt, ut tunc satis, supèriq. ce censeantur continuato servite, quando sunt prompti ad obsequium, & in occasionibus, quæ se offerunt, à serviendo non desinant. Non ita se habet communiter famulorum, de quibus potissimè loquimur, conditio; horum enim est continuò servire, & in dies, immò, in horas, dixi tamen (Communiter) nam, & his etiam suam deberi mercedem, quando in suo serviendo modo per ipsos non stat, famulari; supra c. 4. §. 1. n. 4. indicatum est.

7. Ad tertiam, respondeo item negativè. Ratio est: quia contractus fuit addictus ad illum unum annum, quare eo elapso, elabitur obligatio, tum pro servo, tum pro domino; Is enim non obligatur admittere servum volentem resarcire tempus subtractum, sed poterit, juxta supradicta, partem stipendii correspondentem tempore, in quo famulus non servivit, ab ipso demere, illumque dimittere. Sicuti enim votum jejunandi huic anno, vel huic diei addictum, anno, vel die transacto, non amplius obligat, ita Conductio, & Locatio, sive domus, v. g. sive famulatus pro hoc anno, vel die, iis exactis, non amplius obligant.